C. R. Carroll

EXCERPTA

QUAEDAM

E SCRIPTORIBUS LATINIS

PROBATIORIBUS,

NOTIS ILLUSTRATA.

Wells, William, ed.

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICAE.

BOSTONII, NOV-ANGLORUM:
IMPENSIS W. WELLS.
EXCUD: WAIT ET SOCII.
MDCCCX.

PA2095
.W37

DISTRICT OF MASSACHUSETTS, TO WIT:

BE it remembered, That on the seventh day of September, in the thirty-fifth year of the Independence of the United States of America, A. D. 1810, WILLIAM WELLS, of the said district, hath deposited in this office the title of a book, the right whereof he claims as proprietor, in the words following, to wit:

"Excerpta quaedam e Scriptoribus Latinis probatioribus, Notis illustrata. In usum Juventutis Academicae."

In conformity to the Act of the Congress of the United States, entitled, "An Act for the encouragement of learning, by securing the copies of Maps, Charts, and Books, to the Authors and Proprietors of such copies, during the times therein mentioned;" and also to an act, entitled "An act supplementary to an act, entitled, 'an act for the encouragement of learning, by securing the copies of Maps, Charts, and Books, to the authors and proprietors of such copies during the times therein mentioned,' and extending the benefits thereof to the Arts of Designing, Engraving, and Etching Historical, and other Prints."

W. S. SHAW,

Clerk of the District of Massachusetts.

Exchange
Peabody Inst. of Baltimore
April 3 1935

REV: JOANNI T. KIRKLAND, S.T.D.

HAEC EXCERPTA ad usum Juventutis Academicae emissuro, mihi nuntiatur, Te, Amice spectatissime, Universitatis Cantabrigiensis Curationem, tibi voce publica et omnium bonorum spe destinatam, in teipsum suscepturum. Tibi ut gratuler non est in animo, sed contra hanc occasionem, mihi sic oblatam, nostrae Almae Matri gratulandi, et amicitiam observantiamque quas in te habeo enuntiandi, reniti non possum. Quae omnia solita tua benevolentiâ ut accipias quaeso.

W. W.

Haec dum seligebam, Notas ab editoribus probatissimis maxima ex parte sumsi; in excerptis a Velleio et Cicerone *Scriptores Romani* Etonensium plerumque sequutus.

INDEX.

Pag.

QUINTUS CURTIUS 9
Alexander et Philippus Medicus. Issi Proelium 13
Clyti Caedes 32
India 37
P. VELLEIUS PATERCULUS 41
L. Æmilius Paullus 43
Q. Metellus. P. Scipio Africanus. L. Mummius 44
De temporibus, quibus potissimum floruerunt ingenia . . . 45
Primo corrumpi coepta civitas 47
Tiberius Gracchus 48
P. Scipionis Æmiliani Mors 49
Caius Gracchus 50
M. Livius Drusus 51
L. C. Sulla et C. Marius 52
Cneius Pompeius 55
Cicero, Catalina et M. Cato 56
C. Caesar 57
Clodius 58
Crassus 59
Bellum Civile inter Pompeium et Caesarem . . . . . ib.
Ciceronis Mors 63
Brutus et Cassius 64
Sextus Pompeius, Cn. Magni filius . . . . . ib.
M. Agrippa 65
Lepidus . . . . . ib.
Pugna Actiaca 66
C. Mecaenas 67
Ab Augusto bene composita Civitas . . . . . ib.
Caesaris Augusti Mors 68
TITUS LIVIUS 69
Prooemium 72
Vis in Lucretiam. Tarquinii Roma expulsi 74
Pugna Regillensis 78
Appius et Virginia 81
T. Manlius, securi percussus 87
Papirius Cursor. Disputatio de Alexandro Magno et Romanis . 90
Annibal trajicit Rhodanum 97
Annibal transit Alpes: Italiam ingreditur. Cornelii et Annibalis Orationes 100
Pugna Cannensis 114
Asdrubalis Clades 122
C. C. TACITUS 133
Legionum Pannonicarum et Germ: Seditio 135
Mors Germanici 153
Senecae et Lucani Caedes 160
Historiae Lib. I. Galba 169
Hierosolymae a Tito oppugnatae 196

Pag:
Germania 207
Agricolae Vita 231
M. F. Quintilianus 261
Institutionum Orat: Prooemium 265
De Moribus et Officio Praeceptoris 283
An protinus Praeceptori optimo sit utendum 285
An secundum sui quisque ingenii docendus sit Naturam . . . 288
De Officiis Discipulorum 290
An Artis Declamationis necessaria cognitia sit 291
Utrum plus conferat Eloquentiae Ars an Natura 297
Lib. VI. Prooemium. Quintilianus de fortuna sua queritur . . ib.
Lib. VIII. Prooemium. Recapitulatio 301
De Copia Verborum 306
De Imitatione 323
Quomodo Scribendum sit 328
De Emendatione 334
Quae praecipue scribenda 335
De Cogitatione 337
Quomodo extemporalis facultas dicendi paretur 339
Quomodo apte dicatur 340
De Memoria 344
De Pronuntiatione 348
Lib. XII. Prooemium 351
Non posse Oratorem esse, nisi virum bonum 352
Cognoscenda esse Oratori quibus mores firmantur 361
Necessarium Oratori cognitionem Historiarum 367
Quae sunt Oratoris Instrumenta . . . . . ib.
Quae post finem Studia 369
M. Tullius Cicero 375
De Origine, usu et abusu Eloquentiae 377
Cicero de scriptis suis Rhetoricis 381
De Studio Eloquentiae 384
In L. Crassi Mortem 391
Varroni Philosophiam commendat Cicero 395
Laudes Luculli 397
Prooemium Lib. I. Tusc: Quaest. 401
De Morte Contemnenda 404
Prooemium Lib. II. 408
Prooemium Lib. III. 409
Prooemium Lib. V. 411
De Dionysio Syracusano 415
De Dolore Tolerando 419
Ex Lib. V. De Paupertate 420
Lib. I. De Natura Deorum 421
Ex Lib. II. Esse praestantem aliquam, divinamque naturam, etc. . 426
De Hominis fabricatione 429
De Somniis 433
Studiorum suorum rationem exponit Cicero 436
De Senectute 439
De Amicitia 442
Paradoxa 443
Somnium Scipionis 451
E Cicerone Epistolae 457
E. C. Plinio Secundo Epistolae 497

EXCERPTA, &c.

Q. CURTIUS.

DE QUINTO CURTIO RUFO.

Duo sunt quae in hoc aditu doceri a nobis Lectorem res ipsa postulat; primum de Curtio ipso, alterum de ejus scriptis.

Ac primum hic mirari licet singulare Curtii fatum; quod Scriptor Nobilissimus, et nihilo primis inferior, non solum communi illa temporum injuria duobus truncatus libris, aliis quoque mutilus, plurimis depravatus ad nos pervenerit: verum etiam, quod nulli forte praeterea contigit, tam multis aetatibus ignotus latuerit; sic ut ante seculum a Christo nato decimum nemo omnium repertus sit, qui vel per transennam, Curtii historici, scriptaeve ab illo historiae mentionem injecerit. Quae res opinor, nonnullos adduxit, ut suspicarentur non genuinum Curtii ac vetustum, sed suppositium recentioris cujuspiam scriptoris foetum esse; qui post renatas literas, felici veterum imitatione eximiam scribendi facultatem adeptus, opus hoc suum Romano sub nomine prodire voluerit. Quorum con-

jecturam vel una refellit Gualteri Belgae Alexandreis, jam inde usque a duodecimo ærae Christianae seculo condita, ex unius saepe Curtii vocibus in versum redactis. Adde MSS. codicum sane veterum multitudinem, mutilationem, depravationem; quae in recentem scriptorem non cadunt.

Inter viros doctos maxime disputatur, quis fuit Curtius et quo seculo vixerit. Ad hanc porro dissolvendam questionem, unde prior illa dependet, princeps est ipsius Curtii locus Lib. 10. cap. 23. sed is varia interpretatione, et ut fit, in diversas pugnantesque sententias distractus. *Proinde*, inquit, *jure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pene supremam habuimus, novum sidus illuxit*, etc. etc. Mihi quidem videtur, ut illud *novum sidus* ad Claudium Imperatorem magis sit referendum.

Scripsisse illum, quisquis fuit, res gestas Alexandri Magni libris decem, quorum priores duo perierunt, vulgata plurimorum opinio est: quamquam fuere qui duodecim numerarint, et aliam instituerint atque aliam partitionem, quam quae modo in usu est. Verum et plures et optimi MSS. vulgatum numerum ac divisionem repraesentant.

De his porro Curtii scriptis eruditorum elogia referre infinitum sit, adeo nullus est eorum qui suum de Latinis historicis judicium interposuere, quin se in Curtio laudando amasse videatur. Insigniorum testimonia sub finem praefationis repraesentabimus. In-

terim hic unum addidisse sufficiat, quod citra hyperbolem affirmari potest, parem his laudibus esse Curtium; nec ullum forte esse eruditioris palati virum, qui plura non sentiat expertus, quam ipsi dixerint. Nec tamen inficias ierim inter tot virtutes, quosdam ut in pulchro corpore naevos adhaesisse. Cujusmodi illa sunt quae vel ab aliis observata legimus, vel ipsi in his commentariis indicavimus; Geographiae nonnunquam et historiae rationes turbasse; parum scienter in proeliis describendis fuisse versatum; non satis accurato delectu vera discrevisse a falsis; speciosa magis quam certiora sectatum esse; sententiarum aculeos affectasse plusculum, descriptionibus quandoque poeticos flores, orationibus declamatorium colorem aspersisse. Verum hercle, quam haec levia sunt, si cum tot eximiis dotibus conferantur! illo nitore sermonis, illa styli suavitate ac sinceritate omnis fuci experte, illa rerum et affectuum non tam describendorum quam pingendorum industria mirabili, illo splendore sententiarum, illa praesertim orationum copiosa brevitate, nervosaque elegantia, qua vix alium parem habeat.

Tellerii praefat. ad Q. C. editionem in usum Delphini.

Ex Libris decem de Rebus Alexandri Regis Macedonum duo primores interciderunt, qui in antiquioribus editionibus, ab anno 1545. supplementis *Christophori Brunonis*, Monachii in Bavaria bonarum literarum in schola Poetica Professoris, utcunque resarciuntur. His in editione Lugdunensi, 1615, 12mo.

adjunguntur alia quaedam, descripta e Bibliotheca S. Victoris a Joanne Massono. Horum auctorem esse FRANC. PETRARCHAM notavit J. Scaliger. Etiam *Q. Stoam* libros illos supplevisse narrat *Joannes Freinshemius*, qui longe luculentius, doctius et plenius defectum librorum illorum supplevit, ut Mich. Tellerius dixerit, jacturam fere optabilem fuisse, quam tam feliciter et opportune restituerit Freinshemius. Idem Freinshemius et alias in Curtio lacunas explevit. Ab eo tempore vir doctissimus Ch: Cellarius, cum Brunonem sterilitate, Freinshemium copia et prolixitate quodam modo peccare animadverteret, novis, succinctis et elegantibus supplementis Curtium auxit. Nova deinde supplementa Curtii adornare tentavit Ch: Jernkerus.

Fabricii Bib: Latina: Ernesti, Vol. II. 345.

Q. CURTIUS.

LIBER TERTIUS, CAP. 10.

ALEXANDER ET PHILIPPUS MEDICUS. ISSI PROELIUM.

PYRAMUS [1] et Cydnus inclyti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu a fontibus labens, puro solo excipitur. Nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amoenitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare evadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes [2] Lyrnissi et Thebes: Typhonis quoque specus, et Corycium nemus, ubi crocum gignitur, ceteraque, in quibus nihil praeter famam duraverat. Alexander fauces jugi, quae Pylae appellantur, intravit, contemplatus locorum situm, non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem suam; obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui in subeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos. Dorsum montis imminebat viae, non angustae modo, sed plerumque praeruptae, crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium

[1] Pyramus,] hodie Malmistra, oritur ex Cataoniae campis, transit in Ciliciam per Tauri montis angustias, multaque admiratione digna habet. Cydnus ex Tauro monte nascitur, vel ut alii volunt, renascitur. Turci *Carasu* vocitant.

[2] Lyrnissi.] Duplex hoc loco error Curtii. Primum enim Lyrnissum et Theben Ciliciae tribuit, quas in Pamphylia versus Lyciam Strabo collocat lib. 14. Deinde vocat *monumenta carminibus* (utique Homeri) *vulgata;* quo pacto utramque confundit cum aliis ejusdem urbibus in Troade ab Achille deletis, quorum incolae in Pamphyliam profugi, istas patriae suae cognomines condiderunt.

manant. Thracas tamen leviter armatos praecedere jusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupaverat jugum; intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos inire, sed proelium. Hoc modo agmen pervenit ad urbem [1] Tarson, cui tum maxime Persae subjiciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu praemisso, postea quam Barbaros adventu suorum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam intrat.

Mediam Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, interfluit; et tunc aestas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit; et diei fervidissimum tempus coeperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum) descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Expiranti similem, ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens solicitudo, et pene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur in tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum: instare Darium, victorem antequam vidisset hostem. Sibi easdem terras, quas victores peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos, aut hostes populatos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes, fame atque inopia debellari posse. Quem signum daturum fugientibus? quem ausurum

[1] Tarson.] Fuit urbs illa Ciliciae caput.

Alexandro succedere? Jam ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa, illum florem juventae, illam vim animi, eundem regem et commilitonem divelli a se et abripi, immemores sui querebantur. Inter haec liberius meare spiritus coeperat; allevabat rex oculos, et paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat. Laxataque vis morbi ad hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animum autem aegritudo corporis urgebat; quippe Darium quinto die in [1] Ciliciam fore nunciabatur. Vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi e manibus, obscuraque et ignobili morte in tabernaculo extingui se, querebatur. Admissisque amicis pariter et medicis: "In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire videor: et qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo, cum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit; sed nequicquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non expetunt tempora mea. Vel mori strenue, quam tarde convalescere, mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quam belli remedium quaerere." Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas ejus. Ergo pro se quisque precari coepere, ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium. Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius pecunia solicitaret hostis. Quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquam ar-

[1] In Ciliciam.] Ita optimi Latinitatis auctores, etiam citra motum, *in* quarto casui junxere. In praedonum fuisse potestatem, Cic. *Facito* IN *memoriam habeas*, Plaut. Esse in honorem, Terent. Vide A. Gellium lib. 1. cap. vii. At vice versa *in* sextum casum, ubi motus est, obtinet quandoque, *venit in Senatu*, &c.

bitrabatur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

Erat inter nobiles medicus e Macedonia regem secutus, Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi; puero comes, et custos salutis datus; qui non ut regem modo, sed etiam ut alumnum eximia caritate diligebat; is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, praeter ipsum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti poterat. Arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. Inter haec a Parmenione fidissimo purpuratorum literas accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis a Dario, et spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo solicitudinem literae incusserant, et quicquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensabat. "Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quicquid accederit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est, alieno me mori scelere, quam metu nostro." Diu animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset enunciat, epistolamque sigillo annuli sui impresso, pulvino, cui incubabat, subjecit. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit a medico destinatus dies. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso, Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens, accipit poculum, et haurit interritus: tum epistolam Philippum legere jubet, nec a vultu legentis movit oculos; ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehen-

dere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis quam pavoris ostendit: projectisque amiculo et literis ante lectum: "Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vero (arbitror) sacro et venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet. Servatus a me vitam mihi dederis, oro, quaesoque: omissoque metu, patere medicamentum concipi venis. Laxa paulisper animum, quem solicitudine intempestiva amici sane fideles, sed moleste seduli, turbant." Non securum modo haec vox, sed etiam laetum Regem, ac plenum bonae spei fecit. "Itaque si dii," inquit, "Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluisses. Sed certiore, quam expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: et nunc credo, te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum." Haec elocutus, dextram Philippo offert. Ceterum tanta vis medicaminis fuit, ut quae secuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus arcte meabat, nec Philippus quidquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore, excitavit. Atque ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris, sororumque, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recuperavit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum Regem, quam Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque dexteram ejus amplexi, grates habebant, velut praesenti Deo. Namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti erga Reges suos venerationem, quantum hujus quoque Regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint.

Jam primum nihil, nisi divina ope, aggredi videbatur. Nam cum esset praesto ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat: aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam ejus opera honestabat, et quae leviora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt; exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paululum a privato abhorrens, militaris vigor, queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

At Darius, nuncio de adversa valetudine ejus accepto, celeritate quanta poterat, tam grave agmen ad Euphratem contendit: junctoque eo pontibus, quinque tamen diebus trajecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Jamque Alexander viribus corporis receptis, ad urbem Solos pervenerat: cujus potitus, ducentis talentis, nomine mulctae, exactis, arci praesidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscepta, per ludum atque otium reddens, ostendit, quanta fiducia Barbaros sperneret: quippe Æsculapio, et Minervae ludos celebravit. Spectanti nuncius laetus affertur ex Halicarnasso; Persas acie a suis esse superatos; Myndios quoque et Caunios, et pleraque tractus ejus suae facta ditionis. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, et Pyramo amne ponte juncto, ad urbem Mallon pervenit; inde alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio Regi occurrit, quem praemiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat. Atque illic angustiis ejus occupatis, et praesidio modico relicto, Isson quoque desertam a Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, praesidiis cuncta firmavit: occupatoque itinere, sicut paullo ante dictum est, idem et auctor et nuncius venit. [1] Isson deinde Rex copias

[1] Isson.] Ingentem urbem Diodorus et Mela, Strabo oppidulum appellat. Stephanus Nicopolim ab Alexandro jam victore dictam asserit, sed

admovit; ubi consilio habito, utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperiendi essent novi milites, quos ex Macedonia adventare constabat: Parmenio, non alium locum praelio aptiorem esse, censebat; quippe illic utriusque Regis copias numero futuras pares, cum angustiae multitudinem non caperent; planitiem ipsis camposque esse vitandos, ubi circuiri, ubi ancipiti acie opprimi possent: timere, ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur, Persas recentes subinde successuros si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilii accepta est. Itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit. Erat in exercitu Regis, Sisenes Perses, quondam a Praetore Ægypti missus ad Philippum, donisque et omni honore cultus, exilium patria sede mutaverat: secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cujus signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes Praetor Darii miserat eam, hortabaturque Sisenem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet; magno id ei apud Regem honori fore. Has literas Sisenes, utpote innoxius, ad Alexandrum saepe deferre tentavit. Sed cum tot curis apparatuque belli Regem videret urgeri, aptius subinde tempus expectans, suspicionem initi scelesti consilii praebuit. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo impresso, Siseni dari jusserat, ad aestimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat Regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, et in agmine a Cretensibus, haud dubie jussu Regis, occisus est.

Jamque Graeci milites, quos Thymondas a Pharnabazo acceperat, praecipua spes, et propemodum unica, ad Darium pervenerant. Hi magnopere sua-

Plinius utramque distinguit verius. Ab Isso vicinus ille maris Mediterranei sinus Issicus vocatus.

debant, ut retro abiret, spatiososque Mesopotamiae campos repeteret. Si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles, neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur. Minus hoc consilium Regi, quam purpuratis ejus displicebat: "ancipitem fidem, et mercede venalem proditionem imminere, et dividi non ob aliud copias velle, quam ut ipsi in diversa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro. Nihil tutius fore, quam circumdatos eos exercitu toto obrui telis; documentum non inultae perfidiae futuros." At Darius, ut erat sanctus et mitis, "se vero tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem, suos milites, jubeat trucidari. Quam deinde amplius nationum exterarum, salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere. Defuturos eos, qui suaderent, si suasisse periculum esset. Denique, ipsos quotidie ad se vocari in consilium, variasque sententias dicere, nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserint." Itaque Graecis nunciari jubet, "ipsum quidem benevolentiae illorum gratias agere; ceterum si retroire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. Fama bella stare: et eum qui recedat, fugere credi. Trahendi vero belli vix ullam esse rationem. Tantae enim multitudini, utique cum jam hyems instaret, in regione vasta, et invicem a suis atque hoste vexata, non suffectura alimenta. Ne dividi quidem copias posse, servato more majorum, qui universas vires semper discrimini bellorum obtulerant. Et hercule, terribilem antea Regem, et absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam adventare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quae, strepitu praetereuntium audito, sylvarum latebris se occuluerunt. Jam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites. Sed non

amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. In illo specu, in quem pavidi recessissent, oppressurum esse cunctantes." Haec magnificentius jactata, quam verius. Ceterum pecunia omni, rebusque pretiosissimis, Damascum Syriae, cum modico praesidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit; insequentibus, more patrio, agmen conjuge et matre. Virgines quoque cum parvo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte et Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, et Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, pervenit. Nec dubitavere Persae, quin Isso relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam saucii quidam et invalidi, qui agmen non poterant persequi, excepti erant. Quos omnes, instinctu purpuratorum, barbara feritate saevientium, praecisis adustisque manibus circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omnibus spectatis nunciare, quae vidissent, Regi suo jussit. Motis ergo castris, superat Pyramum amnem, in tergis, ut credebat, fugientium haesurus. At illi, quorum amputaverat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium, quam maximo cursu posset, sequi nunciantes. Vix fides habebatur. Itaque speculatores, in maritimas regiones praemissos, explorare jubet, ipsene adesset, an praefectorum aliquis speciem tribuisset universi venientis exercitus. Sed cum speculatores reverterentur, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis collucere coeperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa, cum incondita multitudo maxime propter jumenta laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra jusserat, laetus, quod omni expetiverat voto, in illis potissimum angustiis decernendum esse. Ceterum, ut solet fieri, cum ultimi discriminis tempus adventat, in solicitudinem versa fiducia est. Illam ipsam fortunam, qua adspirante res tam prospere gesserat, verebatur: nec injuria, ex his quae tribuisset sibi, quam mutabilis

esset, reputabat. Unam superesse noctem, quae tanti discriminis moraretur eventum. Rursus occurrebant majora periculis praemia: et, sicut dubium esset an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste et cum magna laude moriturum. Itaque corpora milites curare jussit, ac deinde [1] tertia vigilia instructos et armatos esse. Ipse in jugum editi montis ascendit, multisque collucentibus facibus patrio more, sacrificium [2] Diis praesidibus loci fecit. Jamque tertium, sicut praeceptum erat, signum tuba miles acceperat, itineri simul paratus et praelio: strenueque jussi procedere, oriente luce pervenerunt ad angustias, quas occupare decreverant. Darium triginta inde stadia abesse, praemissi judicabant. Tunc consistere agmen jubet, armisque ipse sumptis aciem ordinabat. Dario adventum hostium pavidi agrestes nunciaverunt: vix credenti, occurrere etiam, quos ut fugientes sequebatur. Ergo non mediocris omnium animos formido incesserat; quippe itineri quam praelio aptiores erant, raptimque arma capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, majorem metum incussit. Alii in jugum montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent: equos plerique fraenabant; discors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbaverat. Darius initio montis jugum cum parte copiarum occupare statuit: et a fronte, et a tergo circumiturus hostem: a mari quoque, quo dexterum ejus cornu tegebatur, alios objecturus, ut undique urgeret. Praeter haec viginti millia praemissa cum sagittariorum manu, Pyramum amnem, qui duo agmina interfluebat, transire,

[1] Tertia Vigilia.] Nox tota quatuor in partes aequales ab antiquis tribuebatur, easque pro anni tempore longiores aut breviores, quibus singulis, quia singulae militum custodiae vigilabant, vigiliae nomen ipsis noctis partibus inditum; tertia semper a media nocte inchoabat.

[2] Diis praesidibus.] Suum cuique loco numen seu genium praesidere, unum pluresve, vulgatissima fuit Graecorum praesertim opinio. Id causae erat cur aliquo delati Deos loci praesides conciliare sacrificiis studerent.

et objicere sese Macedonum copiis jusserat. Si id prestare non possent, retrocedere in montes, et occulte circumire ultimos hostium. Ceterum destinata salubriter omni ratione, potentior fortuna discussit: quippe alii prae metu imperium exequi non audebant, alii frustra exequebantur, quia ubi partes labant, summa turbatur.

[1] Acies autem hoc modo stetit: Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorumque viginti ferme millibus. In eodem Thymondas erat, Graecis peditibus mercede conductis triginta millibus praepositus. Hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicae phalangi acies. In laevo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia Barbarorum peditum habebat.[2] In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. Ipsum Regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum assueta corporis custodiae, et pedestris acies quadraginta millia sequebantur. Hyrcani deinde Medique equites: his proximi ceterarum gentium equites dextra laevaque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum sex millia jaculatorum funditorumque antecedebant. Quicquid in illis angustiis adiri poterat, impleverant copiae: cornuaque hinc a jugo, illinc a mari stabant; uxorem matremque Regis, et alium feminarum gregem, in medium agmen acceperant. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit, dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Coenos, et Perdiccas, et Meleager, et Ptolemaeus, et Amyntas, sui quisque agminis duces.

[1] Acies.] Persarum. Cornu.] Tota phalanx in duo cornua dividebatur. Horum alterum si firmari oporteret duplicatis in fronte ordinibus, eo ex ultimis, quia a tergo erant, series aliquot submittebantur. Atque hoc est *in cornu discurrere.*

[2] Subsidiis.] Subsidia vocat partem illam copiarum, quae extra aciem idoneo loco reservabatur, quocunque opus foret, auxilium ferre parata; *Le corps de reserve.*

In laevo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio erant: Sed Craterus Parmenioni parere jussus. Equites ab utroque cornu locati: dexterum Macedones Thessalis adjunctis, laevum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis Thraces quoque et Cretenses ante agmen ibant, et ipsi leviter armati. At iis, qui praemissi a Dario jugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Graecia nuper advectos. Parmenioni autem praeceperat, ut quantum posset, agmen ad mare extenderet, quo longius abesset montibus, quos occupaverant Barbari. At illi, neque obstare venientibus, nec circumire praetergressos ausi, funditorum maxime aspectu territi, profugerant. Eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne superne incesseretur timuerat, praestitit. Triginta et duo armatorum ordines ibant, neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiae. Paulatim deinde se laxare sinus montium et majus spatium aperire coeperant, ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam a lateribus circumfundi posset equitatus.

Jam in conspectu, sed extra teli jactum, utraque acies erat, cum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Redditur et a Macedonibus major, exercitus impar numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus; quippe semper circumjecta nemora petraeque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa ibat; identidem manu suos inhibens, ne impensius ob nimiam festinationem concitato spiritu capesserent praelium. Cumque agmini obequitaret, varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam, atque ultima Orientis, non ipsius magis, quam suo ductu profectos, inveteratae virtutis admonebat. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris

terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus impositurros jugum. Macedonum Bactra et Indos fore; minima esse, quae nunc intuerentur, sed omnia victoria parari. Non in praeruptis petris Illyricorum, et Thraciae saxis sterilem laborem fore? spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus. Totam aciem suo pavore fluctuantem, umbonibus posse propelli. Victor ad haec Atheniensium Philippus pater invocabatur, domitaeque nuper Boeotiae, et urbis in ea nobilissimae ad solum dirutae species repraesentabatur animis: jam Granicum amnem, jam tot urbes aut expugnatas, aut in fidem acceptas, omniaque quae post tergum erant strata, et pedibus ipsorum subjecta, memorabat. Cum adierat Graecos, admonebat, ab iis gentibus illata Graeciae bella: Darii prius, deinde Xerxis insolentiae, aquam ipsam terramque populantium, ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent. Dein Deum templa ruinis et ignibus esse deleta. Urbes eorum expugnatas, foedera humani divinique juris violata referebat. Illyricos vero et Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium, auro purpuraque fulgentem, intueri jubebat, praedam, non arma gestantem. Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent. Aspera montium suorum juga, nudosque colles, et perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

Jam ad teli jactum pervenerant, cum Persarum equites ferociter in laevum cornu hostium invecti sunt. Quippe Darius equestri praelio decernere optabat; phalangem Macedonici exercitus robur esse conjectans. Jamque etiam dextrum Alexandri cornu circuibatur: quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad jugum montis jussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenue transfert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, Praefectum eorum occulte circuire tergum suorum jubet, Parmenioni-

que conjungi, et, quod is imperasset, impigre exsequi. Jamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi, egregie se tuebantur: sed conferti, et quasi cohaerentes, tela vibrare non poterant. Simul ut erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigre stringunt. Tum vero multum sanguinis fusum est: duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent: non timido, non ignavo cessare tum licuit: collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promovebant gradum, cum hostem prostraverant. At illos novus excipiebat adversarius fatigatos. Nec vulnerati, ut alias solent, acie poterant excedere, cum hostis instaret a fronte, a tergo sui urgerent. Alexander, non ducis magis, quam militis, munera exsequebatur, [1] opimum decus caeso Rege expetens; quippe Darius curru sublimis eminebat, et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. Ergo frater ejus Oxathres cum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum Regis objecit, armis et robore corporis multum super ceteros eminens, animo vero et pietate in paucissimis. Illo utique praelio clarus, alios improvide instantes prostravit, alios in fugam avertit. At Macedones, ut circa Regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero similis ruinae strages erat. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos Regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes, procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizies,

[1] Opimum decus.] Ita *opimum decus* vocat, ut apud Romanos *opima spolia* dicebantur, quae dux ipse victor, sua manu occiso hostium duci, detraxerat.

et Rheomithzes et Sabaces Praetor Ægypti, magnorum exercituum praefecti, noscitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque, non quidem multi, sed promptissimi tamen, caesi sunt. Inter quos Alexandri dexterum femur leviter mucrone perstrictum est. Jamque, qui Darium vehebant equi, confossi hastis, et dolore efferati, jugum quatere, et Regem curru excutere coeperant: cum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur: insignibus quoque Imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis. Tum vero ceteri dissipantur metu; et qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt, arma jacientes, quae paullo ante ad tutelam corporum sumpserant: adeo pavor etiam auxilia formidabat. Instabat fugientibus eques a Parmenione missus, et forte in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persae Thessalos equites vehementer urgebant. Jamque una ala ipso impetu proculcata erat, cum Thessali strenue circumactis equis dilapsi, rursus in praelium redeunt, et sparsos incompositosque victoriae fiducia Barbaros ingenti caede prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum, serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur: quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupaverant. Hac tam prospera pugna nunciata, Alexander, non ante ausus persequi Barbaros, utrimque jam victor instare fugientibus coepit. Haud amplius Regem quam mille equites sequebantur: cum ingens multitudo hostium caderet. Sed quis aut in victoria aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo a tam paucis pecorum modo: et idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur. At Graeci, qui in Darii partibus steterant Amynta duce (Praetor hic Alexandri fuit, nunc transfuga) abrupti a ceteris, haud sane fugientibus similes evaserant. Barbari longe diversam fugam intenderunt, alii qua

rectum iter in Persidem ducebat: quidam circuitus, rupes, saltusque montium occultos petivere: pauci castra Darii. Sed jam illa quoque hostis victor intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri argentique pondus, non belli, sed luxuriae apparatum, diripuerant milites. Cumque plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. Jamque ad feminas perventum erat; quibus, quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu, tumultuque, prout cuique fortuna erat, castra repleverant: nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines aetatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur. Tunc vero impotentis fortunae species conspici potuit, cum ii, qui tum Dario tabernaculum exornaverant, omni luxu et opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi veteri domino, reservabant. Namque id solum intactum omiserant milites; ita tradito more, ut victorem victi Regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animosque in semet converterant captiva mater conjuxque Darii. Illa non majestate solum, sed etiam aetate venerabilis: haec formae pulchritudine; nec illa quidem sorte corrupta, acceperat in sinum filium, nondum sextum aetatis annum egressum, in spem tantae fortunae, quantam paullo ante pater ejus amiserat, genitum. At in gremio anus aviae jacebant adultae virgines duae, non suo tantum, sed illius moerore etiam confectae. Ingens circa eam nobilium feminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores; Reginas, dominasque, veris quondam, tunc alienis nominibus, vocantes. Illae suae calamitatis oblitae, utro cornu Darius stetisset, quae fortuna discriminis fuisset, requirebant. Negabant, se captas, si viveret Rex. Sed illum, equos subinde mutantem, longius fuga abstulerat. In acie autem caesa sunt Persarum peditum

centum millia: decem vero millia interfecta equitum. At ex parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuere, triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens victoria stetit.

Rex, qui diu Darium persequendo fatigatus erat, posteaquam et nox appetebat, et eum assequendi spes non erat, in castra paullo ante a suis capta pervenit. Invitari deinde amicos, quibus maxime assueverat, jussit: quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta, non prohibebat interesse convivio. Tum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro ululatu, planctuque permixtus, epulantes conterruit. Cohors quoque, quae excubabat ad tabernaculum Regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se coeperat. Causa subiti pavoris fuit, quod mater uxorque Darii, cum captivis mulieribus nobilibus, Regem, quem interfectum esse credebant, ingenti gemitu ejulatuque deflebant. Unus namque e captivis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius (sicut paullo ante dictum est), ne cultu proderetur, abjecerat, in manibus ejus, qui repertum ferebat, agnovit: ratusque, interfecto detractum esse, falsum nuncium mortis ejus attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunae Darii, et pietati earum illacrymasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritum Persicae linguae, ire ad consolandas eas jusserat. Veritus deinde, ne proditor captivarum iram doloremque renovaret, Leonatum ex purpuratis suis misit, jussum indicare, falso lamentari eas Darium vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, pervenit, missumque se a Rege, nunciare jubet. At ii, qui in vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes, adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas. Itaque ut quae nec prohibere pos-

sent, nec admittere auderent, nullo responso dato, tacite opperiebantur victoris arbitrium. Leonatus, exspectato diu qui se introduceret, posteaquam nemo procedere audebat, relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbaverat feminas, quod irrupisse non admissus videbatur. Itaque mater et conjux provolutae ad pedes orare coeperunt, ut, "priusquam interficerentur, Darii corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio se impigre morituras." Leonatus, et vivere Darium, et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae Reginas fore. Tum demum mater Darii allevari se passa est. Alexander postero die cum curam sepeliendis militibus impenderet, quorum corpora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi jubet; matrique Darii permitti, quos vellet, patrio more sepeliret. Illa paucos arcta propinquitate conjunctos pro habitu praesentis fortunae humari jussit; apparatum funerum, quo Persae suprema officia celebrarent, invidiosum existimans, cum victores haud pretiose cremarentur. Jamque justis defunctorum corporibus solutis, praemittit ad captivas, qui nunciarent ipsum venire. Inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat Regi: cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter, libertatis quoque in admonendo eo non alius jus habebat, quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur; et sicut aetate par erat Regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo Reginae illum Regem esse ratae, suo more veneratae sunt. Inde ex spadonibus captivis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis advoluta est pedibus ejus; ignorationem nunquam antea visi Regis excusans. Quam manu allevans Rex, "Non errasti, inquit, mater: nam et hic Alexander est."

Equidem, si hac continentia animi ad ultimum vitae perseverare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus: si vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta: si abstinuisset inter epulas caedibus amicorum; egregiosque bello viros, et tot gentium secum domitores, indicta causa, veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo ejus infuderat. Itaque orientem eam, moderate et prudenter tulit; ad ultimum, magnitudinem ejus non cepit. Tum quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges, et continentia et clementia vincerentur: Virgines, et Reginas excellentis formae, tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse parente genitae forent. Conjugem ejusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. Omnem cultum reddi feminis jussit, nec quidquam ex pristinae fortunae magnificentia captivis, praeter fiduciam, defuit. Itaque Sysigambis, Rex, inquit; "mereris, ut ea precemur tibi, quae Dario nostro quondam precatae sumus: et (ut video) dignus es, qui tantum Regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaveris. Tu quidem matrem me et Reginam vocas, sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et praeteritae fortunae fastigium capio, et praesentis jugum pati possum. Tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia quam saevitia vis esse testatum." Rex bonum animum habere eas jussit: Darii deinde filium collo suo admovit. Atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur. Motus ergo Rex constantia pueri, Hephaestionem intuens, "Quam vellem," inquit, "Darius aliquid ex hac indole hausisset!"

CLYTI CAEDES.

Clytus erat, qui apud Granicum amnem nudo capite Regem dimicantem clypeo suo texit: et Rhosacis manum capiti Regis imminentem gladio amputavit; vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus. Hellanice, quae Alexandrum educaverat, soror ejus, haud secus quam mater a Rege diligebatur. Ob has causas validissimam imperii partem fidei ejus tutelaeque commisit. Jamque iter parare in posterum jussus, solenni et tempestivo adhibetur convivio. In quo Rex cum multo incaluisset mero, immodicus aestimator sui, celebrare, quae gesserat, coepit: gravis etiam eorum auribus, qui sentiebant vera memorari. Silentium tamen habuere seniores, donec Philippi res orsus obterere, "nobilem apud Cheroneam victoriam sui operis fuisse jactavit, ademptamque sibi malignitate et invidia patris tantae rei gloriam. Illum quidem, seditione inter Macedonas milites et Graecos mercenarios orta, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, jacuisse, non alias quam simulatione mortis tutiorem, se corpus ejus protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos. Quae patrem nunquam aequo animo esse confessum, invitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem quam sine eo fecisset ipse in Illyricos, victorem scripsisse se patri, fusos fugatosque hostes, nec affuisse usquam Philippum. Laude dignos esse, non qui Samothracum initia viserent, cum Asiam uri, vastarique oporteret; sed eos, qui magnitudine rerum fidem antecessissent." Haec et his similia laeti audiere juvenes: ingrata senioribus erant, maxime propter

Philippum, sub quo diutius vixerant. Tum Clytus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos, qui infra ipsum cubabant, conversus, [1] Euripidis retulit carmen, ita ut sonus magis quam sermo exaudiri posset a Rege: quo significabatur, "male instituisse Graecos, quod trophaeis, Regum duntaxat nomina inscriberentur; alieno enim sanguine partam gloriam intercipi." Itaque Rex cum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos coepit, quid ex Clyto audissent. Et illis ad silentium obstinatis Clytus paulatim majore voce Philippi acta, bellaque in Graecia gesta commemorat, omnia praesentibus praeferens. Hinc inter juniores senesque orta contentio est. Et Rex, velut patienter audiret, queis Clytus obterebat laudes ejus, ingentem iram conceperat: caeterum cum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clytus imponeret: nihil eo remittente, magis exasperabatur. Jamque Clytus etiam Parmenionem defendere audebat: et Philippi de Atheniensibus victoriam Thebarum praeferebat excidio; non vino modo, sed etiam animi prava contentione, provectus. Ad ultimum, "Si moriendum," inquit, "est pro te, Clytus est primus. At victoriae majus praemium ferunt, qui procacissime patris tui memoriae illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, et non modo indomitam, sed quae ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias, praecipitia ingenia sortitas. Sed quae ad me pertinent, transeo: Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex juniores pugnam detrectantes revocasset, adhuc nos circa Halicarnassum haesuros fuisse. Quomodo ergo Asiam etiam cum istis junioribus subjecisti?

1 Euripidis.] Nobilis fuit tragediarum scriptor, illo ipso die natus quo Xerxes ad Salaminem a Themistocle victus est, Olymp. lxxv. An. 1. Plures edidit Tragedias, quarum novendecim supersunt. Vixit ad Olymp. xciii. secundum, quo pariter mortuus est ejus aemulus Sophocles. Carmen quod Clitus retulet, ex ejus *Andromache* sumptum est v. 693.

Οἱ μοι καθ' Ἑλλαδα, &c.

Verum est (ut opinor) quod avunculum tuum in Italia dixisse constat: Ipsum in viros incidisse, te in foeminas." Nihil ex omnibus inconsulte ac temere actis Regem magis moverat, quam Parmenionis cum honore mentio illata; dolorem tamen Rex pressit, contentus jussisse ut convivio excederet: nec quidquam aliud adjecit, quam forsitan eum (si diutius locutus foret) exprobraturum sibi fuisse vitam a semetipso datam: hoc enim superbe saepe jactasse. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, injectis manibus, jurgantes monentesque conabantur abducere. Clytus cum abstraheretur, ad pristinam vinolentiam ira quoque adjecta: Suo pectore tergum illius esse defensum: nunc posteaquam tanti meriti praeteriit tempus, etiam memoriam invisam esse, proclamat. Attali quoque caedem objiciebat: et ad ultimum, Jovis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se Regi, quam patrem ejus respondisse dicebat. Jam tantum irae conceperat Rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimvero mero sensibus victis, ex lecto repente prosiluit. Attoniti amici, ne positis quidem, sed abjectis poculis, consurgunt, in eventum rei, quem tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander, rapta lancea ex manibus armigeri, Clytum adhuc eadem linguae intemperantia furentem percutere conatus, a Ptolemaeo et Perdicca inhibetur; medium complexi, et obluctari perseverantem, morabantur. Lysimachus et Leonatus etiam lanceam abstulerant. Ille militum fidem implorans, "comprehendi se a proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset," exclamat: signumque tuba dari, ut ad regiam armati coirent, jubet. Tum vero Ptolemaeus et Perdiccas genibus advoluti orant, "ne in tam praecipiti ira perseveret, spatiumque potius animo det: omnia postero die justius executurum." Sed clausae erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi, percurrit in

regiae vestibulum, et vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat iis, qui simul coenaverant, egredi. Abierant caeteri: Clytus ultimus sine lumine exibat. Quem Rex, quisnam esset, interrogat. Eminebat, etiam in voce, sceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille jam non suae, sed Regis irae memor, Clytum esse, et de convivio exire respondit. Haec dicentis latus hasta transfixit, morientisque sanguine aspersus: "I nunc, inquit, ad Philippum, et Parmenionem, et Attalum."

Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus; quippe Rex posteaquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, et, nisi erubesceret fateri, servatorem sui, occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat Rex, verborum licentiam, quae vino poterat imputari, nefanda caede ultus. Manabat toto vestibulo cruor paulo ante convivae: vigiles attoniti et stupentibus similes procul stabant, liberioremque poenitentiam solitudo excipiebat. Ergo hastam ex corpore jacentis evulsam retorsit in semet: jamque admoverat pectori, cum advolant vigiles, et repugnanti e manibus extorquent, allevatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi prostraverat corpus; gemitu ejulatuque miserabili tota personante regia. Laniare deinde os unguibus, et circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur. In has preces tota nox exacta est: scrutantemque num ira Deorum ad tantum nefas actus esset, subit, anniversarium sacrificium Libero patri non esse redditum stato tempore. Itaque inter vinum et epulas caede commissa, iram Dei fuisse manifestam. Caeterum magis eo movebatur: quod omnium amicorum animos videbat attonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum. Vivendum esse in soli-

tudine, velut ferae bestiae, terrenti alias, alias timenti. Prima deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, jussit inferri. Quo posito ante ipsum, lacrymis obortis, "Hanc," inquit, "nutrici meae gratiam retuli, cujus duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem? hic frater, unicum orbitatis solatium, a me inter epulas occisus est. Quo nunc se conferet misera? Omnibus ejus unus supersum, quem solum aequis oculis videre non poterit. Et ego servatorum meorum [1] latro revertar in patriam, ut ne dexteram quidem nutrici sine memoria calamitatis ejus offerre possim?" Et cum finis lacrymis querelisque non fieret; jussu amicorum corpus ablatum est. Rex triduum jacuit inclusus. Quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognoverunt, universi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus ipsorum reluctatum aegre viceruntut cibum caperet. Quoque minus caedis puderet, jure interfectum Clytum Macedones decernunt, sepultura quoque prohibituri, ni Rex humari jussisset. Igitur decem diebus maxime ad confirmandum pudorem, apud Maracanda consumtis, cum parte exercitus Hephaestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hyemem paraturum. Quam Clyto autem destinaverat provinciam, Amyntae dedit.

[1] Latro.] Sicarius, percussor.

LIBER OCTAVUS, CAP. 28.

INDIA.

Sed ne otium serendis rumoribus natum aleret, in Indiam movit, semper bello quam post victoriam clarior. [1] India tota ferme spectat Orientem, minus in latitudinem, quam recta regione, spatiosa; quae Austrum accipiunt, in altius terrae fastigium excedunt. Plana sunt caetera, multisque inclytus amnibus, Caucaso monte ortis, placidum per campos iter praebent. Indus gelidior est, quam caeteri. Aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu maximus, ad meridianam regionem decurrit, et magnorum montium juga recto alveo stringit. Inde eum objectae rupes inclinant ad Orientem. Uterque Rubro mari accipitur findens ripas, multasque arbores cum magna soli parte exsorbet. Saxis quoque impeditus, crebro reverberatur. Ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines eum auget, Ganges decursurum in mare intercipit: magnoque motu amnis uterque colliditur. Quippe Ganges asperum os influenti objicit, nec repercussae aquae cedunt. Dyardenes minus celeber auditu est, quia per ultima Indiae currit; caeterum non crocodilos modo, uti Nilus, sed etiam delphines, ignotasque aliis gentibus belluas alit. Erymanthus crebris flexibus subinde curvatus, ab accolis rigantibus carpitur. Ea causa est, cur tenues reliquias jam sine nomine in mare emittat. Multis praeter hos amnibus tota regio dividitur, sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt.

[1] India.] Duplex distingui solet: prima nobis propior, *intra Gangem*; altera remotior *extra Gangem* dicitur. Ab Occidente Indum habet fluvium (unde nomen) vel si magis placet, Persicum Imperium; a Septentrione Parapismum, (Caucasum) Imaum aliosque montes quibus a Sogdiana et Scythia dirimitur; ab Oriente Sinas cum Oceano Orientali; ad Meridiam Indico terminatur, quod noster Rubrum Mare nuncupat.

Caeterum quae propiora sunt mari Aquilones maxime deurunt. Ii cohibiti jugis montium, ad interiora non penetrant; ita alendis frugibus mitia. Sed adeo in illa plaga mundus statas temporum vices mutat, ut cum alia fervore solis exaestüant, Indiam nives obruant: rursusque ubi caetera rigent, illic intolerandus aestus existat: nec cur, ulli se naturae causa ingessit. Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a caeteris. Ab [1] Erythro Rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. Terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes. Libri arborum teneri, haud secus quam chartae, literarum notas capiunt. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt: animalia inusitata caeteris gentibus, nisi invecta. Eadem terra et rhinocerotas alit; non generat. Elephantorum major est vis, quam quos in Africa domitant. Et viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit. Neque alia illis major opulentiae causa est: utique postquam vitiorum commercium vulgavere in exteras gentes; quippe aestimantur purgamenta aestuantis freti pretio, quod libido constituit. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs format. Corpora usque pedes carbaso velant. Soleis pedes, capita linteis vinciunt. Lapilli ex auribus pendent: brachia quoque, et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt saepius quam tondent. Mentum semper intonsum est. Reliquam oris cutem ad levitatem exaequant. Regum tamen luxuria est, quam ipsi magnificentiam appellant, supra omnium gentium vitia. Cum Rex se in publico conspici patitur, thuri-

[1] Erythro.] Rubri, vel quod idem est, Erythraei, nomen ei proprie convenit, qui illam hodieque retinet, Arabico sinui. Sed Veteres appellationem hanc non ad sinum modo Persicum extenderunt, verum etiam ad universum Oceani tractum, qui Australe littus Asiae perluit.

bula argentea ministri ferunt, totumque iter per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. Distincta sunt auro et purpura carbasa, quae indutus est: lecticam sequuntur armati corporisque custodes. Inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet; totas eas vitis auro caelata percurrit, aviumque, quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet. Cum capillum pectit atque ornat, tunc responsa legationibus, tunc jura popularibus, reddit. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. Venatus maximus labor est, inclusa vivario animalia inter vota cantusque pellicum figere. Binum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt majore nixu quam effectu: quippe telum, cujus in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum belluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pellicum longus ordo sequitur. Separatum a Reginae ordine agmen est, aequatque luxuria. Foeminae epulas parant. Ab iisdem vinum ministratur, cujus omnibus Indis largus est usus. Regem mero somnoque sopitum, in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes Deos. Quis credat inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste et horridum genus est, quos Sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem pulchrum; et vivos se cremari jubent, quibus aut segnis aetas, aut incommoda valetudo est; exspectatam mortem pro dedecore vitae habent. Nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur. Inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur, et futura praedicere. Nec quenquam admovere leti diem credunt, cui exspectare interrito liceat. De-

os putant quidquid colere coeperunt: arbores maxime, quas violare capitale est. Menses in quinos denos descripserunt dies. Anni plena spatia servant. Lunae cursu notant tempora, non ut plerique, cum orbem sidus implevit, sed cum se curvare coepit in cornua: et idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc Lunae motum dirigunt. Multa et alia traduntur, quibus morari ordinem rerum, haud sane operae pretium videbatur.

P. V. PATERCULUS.

DE VELLEIO PATERCULO.

P. Velleius Paterculus, ex equestri familia Romana, variis muneribus functus, denique cum fratre a Tiberio imperium auspicato factus praetor, annoque Decimo ejus imperii, urbis septingentesimo octogessimo tertio, qui erat Christi tricessimo, condidit succinctam *Historiam*, inscriptam M. Vinicio Cos. libris duobus; qui extant, sed ita, ut *prioris*, qui in perstringendis breviter variarum gentium ante Romam conditam rebus versata fuisse videtur, partem majorem, caput, finem, et in medio capitis octavi sexcentorum annorum res, desideremus. Liber *posterior*, historiam Romanam, ab urbis origine libro priore coeptam, persequitur ad excessum Liviae, Augusti conjugis, matrisque Tiberii. Anno post, ut putetur, quinquagenarius caesus est a Tiberio ob amicitiam Sejani. Adulandi studium in rebus Tiberii quidem ita reprehendit J. Perizonius, ut primas facile, in contaminanda utcunque per istiusmodi blanditias historia, eum tenere affirmet. Compendium plenum adulationum et digressionum appellat P. Caroli; quo judice Velleius saepe castitatem stili affectationibus castrensibus frangere videtur.†

† Fabricii Bib. Latina Ernesti, Vol. II. p. 16.

Ut dicendi genus, quo nihil purius ac suavius fluere potest, omittam, antiquitates Romanorum ab ultimo principio tanta brevitate ac perspicuitate (siquidem integer extaret) Velleius comprehendit, ut nemini secundus esse videatur. Laudes etiam illustrium virorum egregia quadam oratione, et magno viro digna commendare solet, ut videre est in laudibus Pompeii, Caesaris, Ciceronis.

J. Bodin. Method. Hist. C. iv.

Pleraque (Velleii) immo omnia placent, quod res ipsae dignae sunt, neque a melioribus conscribantur. Tenuis alioqui verbis, neque satis accuratus. Adulationis, supra quam credi potest, vitio laboravit, praesertim cum Augusti et Tiberii Caesaris gesta narravit.

Sigonius de Hist. Rom. Cap. viii.

P. V. PATERCULUS.

L. AEMILIUS PAULLUS.

Tum senatus populusque Romanus L. Æmilium Paullum qui et Praetor et Cos. triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, consulem creavit: filium ejus Paulli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam reipublicae pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. Is Perseum ingenti praelio, apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit; deletisque ejus copiis, destitutum omni spe coegit e Macedonia profugere: quam ille linquens in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius praetor, qui classi praeerat, pervenit; et ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno et Octavii praetoris navalis, et Anicii, regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis fortunae comes invidia, altissimisque adhaereat, etiam hoc colligi potest: quod, cum Anicii, Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: cujus tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniae, ut bis millies centies HS. aerario contulerit, et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.

Q. METELLUS, P. SCIPIO AEMILIANUS, ET L. MUMMIUS.

Vix ullius gentis, aetatis, ordinis, hominem inveneris, cujus felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium, extentumque vitae spatium, et acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones, quatuor filios sustulit: omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii; unus consularis et censorius; alter consularis; tertius consul; quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare, quam mori.

Universa deinde instincta in bellum Achaia (cujus pars magna ejusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat) maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis, instigantibus; destinatus ei bello gerendo Cos. Mummius. Et sub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginiensibus diceretur, credere, quam quia credenda adferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, ac sensit, aedilitatem petens, Cos. creatus est. Bellum Carthagini, jam ante biennium a prioribus Coss. inlatum, majore vi intulit: cum ante in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset; in Hispania vero, etiam et provocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset. Eamque urbem, magis invidia imperii quam ullis ejus temporis noxis, invisam Romano nomini, funditus sustulit;

fecitque suae virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus clementiae.

Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum funditus eruit. Uterque imperator, devictae a se gentis nomine honoratus, alter *Africanus*, alter appellatus est *Achaicus*. Nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia. Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinae, et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus: semper inter arma ać studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet praedici conducentibus, *si eas perdidissent*, *novas eos reddituros*. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi: et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

DE TEMPORIBUS, QUIBUS POTISSIMUM FLORUERUNT INGENIA.

Cum haec particula operis velut formam propositi excesserit: quamquam intelligo, mihi in hac tam praecipiti festinatione, pene magis necessaria praetereunda, quam supervacua amplectenda; nequeo tamen temperare mihi, quin rem, saepe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, in eandem formam et

in idem arctati temporis congruant spatium? Una, neque multorum annorum spatio divisa, aetas, per divini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, illustravit tragoedias; una priscam illam et veterem, sub Cratino, Aristophane et Eupolide, comoediam: ac novam comicam Menandrus, aequalesque ejus aetatis magis quam operis, Philemon ac Diphilus, et invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque omnium ingenia, Socratico ore defluentia, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post ejus auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem arctatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus, alter ab altero videri nequiverint.

Neque hoc in Graecis, quam in Romanis, evenit magis. Nam nisi aspera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, in Accio circaque eum Romana tragoedia est; dulcesque Latini leporis facetiae, per Caecilium Terentiumque et Afranium, suppari aetate nituerunt. Historicos (ut et Livium quoque priorum aetati adstruas) praeter Catonem, et quosdam veteres et obscuros, minus LXXX. annis circumdatum aevum tulit: ut nec poetarum in antiquius citeriusve processerit ubertas. At oratio ac vis forensis, perfectumque prosae eloquentiae decus, ut idem separetur Cato (pace P. Crassi Scipionisque, et Laelii et Gracchorum, et Fannii et Ser. Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio: ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, sculptoribusque, si quis temporum institerit notis, reperiet, et eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata. Hujus ergo praecedentisque, inquam, saeculi ingeniorum similitudinis, congregantisque se et in studium par, et in emolumen-

tum, causas cum semper requiro, numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse veris similes: inter quas has maxime. Alit aemulatio ingenia: et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, ascendit in summum: difficilisque in perfecto mora est; naturaliterque, quod procedere non potest, recedit: et, ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur; ita, ubi aut praeteriri, aut aequari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit; et quod adsequi non potest, sequi desinit; et, velut occupatam relinquens materiam, quaerit novam; praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamur conquirimus; sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.

Transit admiratio a conditione temporum et ad urbium. Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, uberiusque floruit: adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.

PRIMO CORRUMPI COEPTA CIVITAS.

Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit. Quippe, remoto Carthaginis metu, sublataque imperii aemula, non gradu, sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta: in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. Tum Scipio Nasica in Capitolio porticus; tum Metellus; tum in circo Cn. Octavius multo amoenissimam moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est.

TIB. GRACCHUS. U. C. 622.

IMMANEM deditio[1] Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel judicii vel poenae metuens discrimen; Trib. pleb. creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recepit; P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio Coss. descivit a bonis; pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit; et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam: Octavioque collegae, pro bono publico stanti, imperium abrogavit: Triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creavit se socerumque suum consularem Appium, et Gracchum fratrem, admodum juvenem.

Tum P. Scipio Nasica, ejus, qui *optimus vir* a senatu judicatus erat, nepos, privatusque et togatus, cum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi praeferens, et quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est) circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, *qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur.* Tum optimates, senatus, atque equestris ordinis pars melior et major, et intacta perniciosis consiliis plebs, irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et concientem pene totius Italiae frequentiam. Is fugi-

[1] Mancini.] Qui a senatu jussus erat Numantinis dedi, quibuscum foedus ipse turpissimum inierat.

ens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiatorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior; discordiaeque civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro dijudicatae; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: et, ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur; nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

POST CARTHAGINEM AC NUMANTIAM EXCISAS, P. SCIPIONIS AEMIL. MORS.

P. Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Cos. missusque in Hispaniam, fortunae virtutique, expertae in Africa, respondit in Hispania; et intra annum ac tres menses, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam excisamque aequavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae. Quippe, excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, *quid de Tib. Gracchi caede sentiret?* [1] respondit: *si is occupandae reipublicae animum habuisset, jure caesum.* Reversus in urbem, intra breve tempus, M. Aquillio, C. Sempronio Coss. post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores reipublicae, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam

1 Hic et apud Numantiam statim cum audivisset de exitu Tib. Gracchi, Homericum illud protulit:

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτα γε ῥέζοι.

elisarum faucium in cervice reperirentur notae. De tanti viri morte nulla habita est quaestio: ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae, mortem obiit; vitam certe dignissimam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur.

CAIUS GRACCHUS.

Decem deinde interpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem Caium, fratrem ejus, occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem: qui, cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia, vel praemuniendae regalis potentiae, ejusdem exempli tribunatum ingressus, longe majora et acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam pene usque Alpes; dividebat agros; vetabat quemquam civem plus quingentis jugeribus habere; (quod aliquando lege Licinia cautum erat) nova constituebat portoria; novis coloniis replebat provincias; judicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc L. Opimius Cos. qui praetor Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, aeque prava cupientem (quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, eumque socium regalis adsumpserat potentiae) morte adficit.

Hunc Gracchi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia Africani filia, vir optimis inge-

niis male usi, vitae mortisque habuere exitum: qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica.

M. LIVIUS DRUSUS. U. C. 660.

DEINDE, interjectis paucis annis, tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, usus. Qui cum senatui priscum restituere cuperet decus, et judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros saevissent, tum P. Rutilium, virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant) in iis ipsis, quae pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium: non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandae illiciendaeque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis, majora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum, quam ejus optime ab ipso cogitata, senatus probaret magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; injurias, quae ab aliis intendebantur, aequo animo reciperet; et hujus summae gloriae invideret, illorum modicam ferret.

Tum conversus Drusi animus, quando bene coepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae. Quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incognita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suae cultello percussus, qui adfixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium moerentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiae suae: *Ecquando*, in-

quit, *propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica?* Hunc finem clarissimus juvenis vitae habuit: cujus morum minime omittatur argumentum. Cum aedificaret domum in Palatio, promitteretque ei architectus, *ita se eam aedificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset: Tu vero,* inquit, *siquid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit.*

L. CORNELIUS SULLA ET C. MARIUS.

L. Cornelius Sulla; vir qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familiae ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur; deinde post praeturam illustratus bello Italico, et ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit; petensque consulatum, pene omnium civium suffragiis nactus est: sed eum honorem undequinquagesimo aetatis suae anno adsecutus est.

Per ea tempora Mithridates Ponticus rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura; bello acerrimus; virtute eximius; aliquando fortuna, semper animo maximus; consiliis dux; miles manu; odio in Romanos Hannibal; occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis (quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus litteris, ingenti cum pollicitatione praemiorum interimi jusserat) cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia provincia. Is, egressus urbe, cum circa Nolam moraretur, P. Sulpicius, trib. pleb. disertus,

acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus: cum antea rectissima voluntate apud populum maximam quaesisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, C. Mario, post LXX. annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit; legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum; aliasque leges perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberae civitati, tulit: quinetiam Q. Pompeii Cos. filium, eundemque Sullae generum, per emissarios factionis suae interfecit.

Tum Sulla contracto exercitu ad urbem rediit, eamque armis occupavit; XII. auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicio, urbe exturbavit, ac lege lata exsules fecit. Sulpicium etiam adsecuti equites in Laurentinis paludibus jugulavere; caputque ejus, erectum et ostentatum pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum annoque LXX. nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricae (in quam se, fugiens consectantes Sullae equites, abdiderat) injecto in collum loro in carcerem Minturnensium jussu duumvirali perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus (qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat) ut agnovit Marium, magno ejulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abjecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste misereri paullo ante principis viri docti, instructum eum viatico, collataque veste, in navem imposuerunt. At ille, adsecutus circa Ænariam filium, cursum in Africam direxit: inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium to-

leravit: cum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

Mox, C. Marius, ab exilio revocatus, pestifero civibus suis reditu, intravit Romam. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta. Neque licentia in mediocres saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti; in iis Cos. Octavius, vir lenissimi animi, jussu Cinnae interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnae consulatu abdicaverat, incisis venis superfusoque altaribus sanguine, quos saepe pro salute reipublicae flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exsecrationem Cinnae partiumque ejus tum precatus, optime de republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cinnaeque confossus est. Q. Catulus (et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus) cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce arenaque perpolito, inlatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant praecipitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut saevitiae causam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur; et qui fuisset locuples, fieret nocens, suique quisque periculi merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.

Secundum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit; cujus initio morbo oppressus decessit: vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus.

Vix quidquam in Sullae operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cinnanae Marianae-

que partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit; existimavitque ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem; repulsoque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum. Ante adventum L. Sullae, Cinna seditione orta ab exercitu interemptus est: vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum: de quo vere dici potest, ausum eum quae nemo auderet bonus, perfecisse quae a nullo nisi fortissimo perfici possent; et fuisse eum consultando temerarium, in exsequendo virum.

Putares Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam; tentavitque justis legibus et aequis conditionibus bellum componere: sed iis, quibus et pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullae exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque Coss. superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est. Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor; ut, dum vincit, justissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. Nam et consulem, exarmatumque Sertorium (proh quanti mox belli facem!) et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum.

CN. POMPEIUS.

Sub adventum in Italiam L. Sullae, Cn. Pompeius, ejus Cn. Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu gessisse bello Marsico praediximus,

XXIII. annos natus, privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis ejus elientelis refertus erat, contraxit exercitum. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate et constantia: quae in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus ad ultimum vitae comitata est diem: innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius; potentiae, quae honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissimus; civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua nunquam aut raro ad impotentiam usus; pene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium indignari, cum omnes cives jure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere. Hic a toga virili adsuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluit; ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

CICERO, CATILINA ET M. CATO.

Per haec tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae, et ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur; Cos. Sergii Catilinae Lentulique et Cethegi, et aliorum utriusque ordinis virorum, conjurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque eripuit. Catilina, metu

consularis imperii, urbe pulsus est. Lentulus consularis et praetor iterum, Cethegusque et alii clari nominis viri, auctore senatu, jussu Cos. in carcere necati sunt.

Ille senatus dies, quo haec acta sunt, virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, altissime illuminavit. Hic genitus proavo, M. Catone, principe illo familiae Porciae, homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio diis quam hominibus propior; qui numquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam; omnibus humanis vitiis immunis semper, fortunam in sua potestate habuit. Hic trib. pleb. designatus, adhuc admodum adolescens, cum alii suaderent, ut per municipia Lentulus conjuratique custodirentur, pene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem, eo ardore oris orationem omnium, lenitatem suadentium, societate consilii suspectam fecit, sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, censeret; majorque pars ordinis ejus Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segnius conata obiit, quam sceleris conandi consilia inierat: quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, praelio reddidit.

C. CAESAR.

Secutus deinde est consulatus C. Caesaris: qui scribenti manum injicit, et quamlibet festinantem in se morari cogit. Hic (nobilissima Juliorum genitus familia, et, quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus) forma omni-

um civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus; magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem, utebatur.

Hoc Cos. inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas; quae urbi orbique terrarum, nec minus diverso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat; ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus multi obtrectabant, per Caesarem confirmarentur Consulem: Caesar autem, quod animadvertebat se, cedendo Pompeii gloriae, aucturum suam, et invidia communis potentiae in illum relegata, confimaturum vires suas: Crassus, ut quem principatum solus adsequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Caesaris.

CLODIUS.

Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti reus ob initum inter religiosissima P. R. sacra adulterium; cum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) et a patribus ad plebem transisset, legem in tribunatu tulit: *Qui civem R. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur.* Cujus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir, optime meritus de republica, conservatae patriae pretium calamitatem exsilii tulit.

CRASSUS.

Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. Qui vir, caetera sanctissimus immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda, aut modum norat, aut cupiebat terminum. Hunc, proficiscentem in Syriam diris cum ominibus, tribuni pleb. frustra retinere conati: quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo valuissent, vile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset reipublicae. Transgressum Euphraten Crassum petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes una cum parte majore Romani exercitus interemit.

BELLUM CIVILE INTER POMPEIUM ET CAESAREM.

Septimo ferme anno Caesar morabatur in Gallis, cum, medium jam ex invidia potentiae male cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus, Julia uxor Magni decessit; atque, omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompeii, Julia natus, intra breve spatium obiit.

Tum in gladios caedesque civium furente ambitu (cujus neque finis reperiebatur nec modus) tertius consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium antea dignitati ejus judicio, delatus est. Cujus ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime a C. Caesare alienatus est.

Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia: cum justissimus quisque et a Caesare, et a Pompeio vellet dimitti exercitus. Quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac praesidens urbi, per Afranium et Petreium consularem ac praetorium,

legatos suos, administrabat: et iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur; iis, qui ab ipso quoque, adversabatur. Qui si ante biennium quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri et aliorum operum, quae ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute ejus, primo omnium civium, suscepit) defuisset fortunae destruendi ejus locus; et, quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.

Bello autem civili, et tot, quae deinde per continuos XX. annos consecuta sunt, malis, non alius majorem flagrantioremque, quam C. Curio trib. pleb. subjecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico: cujus animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. Id gratis, an accepto centies HS. fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum saluberrimas et coalescentes conditiones pacis, quas et Caesar justissimo animo postulabat, et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiae publicae.

Lentulo et Marcello Coss. post urbem conditam annis DCCII. bellum civile exarsit. Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior. Hic omnia speciosa, illic valentia. Pompeium senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia. Consules senatusque causae, non Pompeio, summam imperii detulerunt. Nihil relictum a Caesare, quod servandae pacis causa tentari posset; nihil receptum a Pompeianis: cum alter consul justo esset ferocior; Lentulus vero salva republica salvus esse non posset; M. autem Cato *moriendum ante, quam ullam conditio-*

nem civis accipiendam reipublicae contenderet: vir antiquus et gravis, Pompeii partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris; et illa gloriosa, haec terribiliora duceret.

Post cladem in acie Pharsalica acceptam Pompeius, profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, et Favonio praetorio, quos comites ei fortuna adgregaverat, Ægyptum petere proposuit; memor beneficiorum, quae in patrem ejus Ptolemaei, qui tum, puero quam juveni propior, regnabat, Alexandriae contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Ibi, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Ægyptii mancipii, jugulatus est. Hic, post tres consulatus et totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac praestantissimi viri, in id evecti super quod adscendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitae fuit exitus: in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.

Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique nomine. Quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum: quod ciebat rex Juba, et Scipio, vir consularis, ante biennium, quam exstingueretur Pompeius, lectus ab eo socer: eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia perductis ad eos legionibus: qui vir, cum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit.

Sequens fortunam suam Caesar, pervectus in Africam, (quam occiso Curione, Julianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus) ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua; inclinataeque hostium copiae. Nec dissimilis ibi adversus victos, quam in priores, clementia Caesaris fuit.

Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense, quod Cn. Pompeius Magni filius, adolescens impetus ab bella maximi, ingens ac terribile conflaverat: undique ad eum, adhuc paterni nominis magnitudinemque sequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est: sed nullum umquam atrocius periculosiusque ab eo initum praelium; adeo ut, plus quam dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denuntiaret militibus, *vestigio se non recessurum: proinde viderent quem et quo loco imperatorem deserturi forent.* Verecundia magis quam virtute acies restitutae sunt, a duce quam a milite fortius. Cn. Pompeius, gravis vulnere inventus inter solitudines avias, interemptus est. Labienum Varumque acies abstulit.

Caesar omnium victor, regressus in urbem (quod humanam excedat fidem) omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit. Neque tamen illi tanto viro, et tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit. Quippe cum mense Octobri in urbem revertisset, Idibus Martiis, conjurationis auctoribus Bruto et Cassio (quorum alterum promittendo consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat) adjectis etiam consiliariis caedis familiarissimis omnium, et fortuna partium ejus in summum evectis fastigium, D. Bruto et C. Trebonio aliisque clari nominis viris, interemptus est. Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti ejus Lupercalibus sedentis pro rostris insigne regium; quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.

Laudandum experientia consilium est Pansae atque Hirtii: qui semper praedixerant Caesari, *ut principatum armis quaesitum armis teneret.* Ille dictitans, *mori*

se quam timeri malle, dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est: cum quidem plurima praefagia atque indicia Dii immortales futuri obtulissent periculi. Nam et haruspices praemonuerant, *diligentissime Iduum Martiarum caveret diem;* et uxor Calpurnia, territa nocturno visu *ut ea die domi subsisteret*, orabat: et libelli, conjurationem nuntiantes dati, ab eo neque protinus lecti erant. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

CICERONIS MORS.

Furente deinde Antonio, simulque Lepido, repugnante Caesare, sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est; abscissaque scelere Antonii vox publica est, cum ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis, et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egisti, mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicae tantique Cos. irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam: dumque hoc, vel forte vel providentia vel utcumque constitutum rerum naturae corpus, (quod ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio com-

plexus est, eloquentia illuminavit) manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur.

BRUTUS ET CASSIUS.

Hunc exitum M. Bruti partium, septimum et XXX. annum agentis, fortuna esse voluit: corrupto animo ejus in diem, quae illi omnes virtutes unius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus: e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. In altero major vis, in altero virtus. Qui si vicissent, quantum reipublicae interfuit, Caesarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset habere Brutum quam Cassium.

SEXTUS POMPEIUS, CN. MAGNI FILIUS.

Ad Sextum Pompeium et e Brutianis castris, et ex Italia aliisque terrarum partibus, quos praesenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret, sed perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus; speciosis invidens, ut pareret humillimis. Is, occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat; perque Menam et Menecratem, paternos libertos, praefectos classium, latrociniis ac praedationibus infestato mari, ad se exerci-

tumque tuendum rapto utebatur: cum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

M. AGRIPPA.

Crescente in dies et classe et fama Pompeii, Caesar molem belli ejus suscipere statuit. Ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque adsuescendo certaminibus atque exercitationibus, praefectus est M. Agrippa, virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. Hic, in Averno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam et militaris et maritimae rei perduxit scientiam.

LEPIDUS.

Acciverat, gerens contra Pompeium bellum, ex Africa Caesar Lepidum cum XII. semiplenis legionibus. Hic, vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Caesaris auctoritatem ac fidem, sibi junxerat: inflatusque amplius XX. legionum numero, in id furoris processerat, ut, inutilis alienae victoriae comes, quam diu moratus erat dissidendo in consiliis Caesari, et semper diversa his, quae aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretaretur; audebatque denuntiare Caesari, *excederet Sicilia.* Non a Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum patratumque fortius, quam tunc a Caesare. Quippe cum inermis et lacernatus esset, praeter

nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quae jussu hominis pravissimi tela in eum jacta erant, cum lacerna ejus perforata esset lancea, aquilam legionis rapere ausus est. Scires quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt: decimoque anno, quam ad dissimillimam vitae suae potentiam pervenerat Lepidus, et a militibus et a fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens, genibus ejus advolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt: spoliata quam tueri non poterat, dignitas.

PUGNA ACTIACA.

Caesare deinde et Messala Corvino Coss. debellatum apud Actium; ubi, longe ante quam dimicaretur, exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, illa marcebant omnia. Hinc remiges firmissimi, illinc inopia adfectissimi. Navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa; illac specie terribilior. Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem quotidie aliquid transfugiebat. Denique in ore atque oculis Antonianae classis per M. Agrippam Leucas expugnata, Patrae captae, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium superata.

Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Caesar Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera, nihil praeter milites. Prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis reginae, quam pugnantis militis sui comes esse maluit; et imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia;

et desperata victoria in mortem dimicabatur. Caesar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque et ostendens, *fugisse Antonium*, quaerebat, *pro quo et cum quo pugnarent?* At illi, cum diu pro absente dimicassent duce, aegre submissis armis cessere victoriam; citiusque vitam veniamque Caesar promisit, quam, illis ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio: ut dubites, suone, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad ejus arbitrium direxit fugam.

C. MAECENAS.

Tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pene ultra feminam fluens; non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusto clavo plane contentus; nec majora non consequi potuit, sed non tam concupivit. Hic speculatus est, per summam quietem ac dissimulationem, praecipitis consilia juvenis; et, mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium.

AB AUGUSTO BENE COMPOSITA CIVITAS.

Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, senatui majestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo praetoribus adlecti duo; prisca illa et antiqua reipublicae forma revocata; rediit

cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatae utiliter, latae salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus.

CAESARIS AUGUSTI MORS.

Caesar Augustus, cum Tiberium filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quae bello subegerat, prosequens eum, processit in Campaniam: quamquam jam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat; tamen, obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit: et, ingravescente in dies valetudine, cum sciret, quis volenti omnia post se salva remanere accersendus foret, festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius. Tum *securum se* Augustus praedicans circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, *nec quidquam jam de fine, si fata poscerent, recusans*, subrefectus primo conspectu adloquioque carissimi sibi spiritus; mox, cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, septuagesimo sexto anno, animam coelestem coelo reddidit.

TITUS LIVIUS.

T. Livius Anno Urbis Romae 695 natus Patavii, oppido vetustissimo Italiae ad Timavum fluvium, Romae postea Claudii Imperatoris studia moderatus; scriptor sublimi et lactea sermonis ubertate; unus res Romanas aequare feliciter ausus, obiit in patria septuagenario major, quarto anno Tiberii Imp. urbis 770, post Christi natum 17.

Historiam Romanam, sive ut ipse xliii. 13, et Julius Firmicus appellat, *Annales*, ab urbe condita ad bellum Germanicum mortemque Drusi, hoc est, ad annum 744. persecutus est libris cxlii, quos scripsit aliquot et forte pluribus, ut videtur, annis post clausum ab Augusto Imp. prima vice templum Jani, cum ille anno Urbis 725 in pugna Actiaca M. Antonium vicisset. Ex his non extant plures hodie quam 35. in quorum secundi capite 21 queritur, haud facile fuisse, etiam illis temporibus, certe quid et explorati de antiquioribus Romanorum aetatibus tradere. Ex illis xxxv. libris, quos dixi exstare, sunt *primi decem*, qui origines Urbis historiamque usque ad annum 460 complectuntur. Deinde *vicessimus primus*, et qui sequuntur, usque ad *quadragesimum quintum*, quibus historia ab initiis belli Punici secundi, quod anno 536 coepit

ad an. 586 perducitur. Symmachi et Sidonii aetate, Livii quos hodie desideramus libri adhuc extabant.

Primus Livii libros reperit et publicavit, scilicet exemplis describendis, Ch: Landinus; sed exemplum Livii habuit jam Petrarcha. Nec ille Codex Landini omnes, qui nunc eduntur, libros habebat; sed paullatim e variis Codicibus lacunae expletae et numerus librorum auctus est. Editiones optimae hujus auctoris sunt *Gronovii*, *Parisiensis* in usum Delphini 1679, *Oxoniensis* 1708, Parisiensis *Creverii*, 1735–1740. Sed longe praestantior *A. Drakenborchii*, septem voll: 4to Amst: 1735–1746.

Perditos Livii libros ingenio quodammodo restituit vir doctissimus *Jo. Freinshemius;* argumento eorum ex epitomis petito, et adhibitis graecis et latinis, quae exstant, monumentis, explicato tanta industria et felicitate, ut ipse non dubitet profiteri, *se neutiquam metuere, nequis ex omnibus his scriptoribus, qui sunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius.* Ac dolendum est, ea hodie vix legi. Qui judicare possunt, fatebuntur, egregium opus esse, quale singulis seculis vix singuli conficere possint. Perditorum ex Livii historia librorum saepe vana spes facta, vani sumptus impensi.

Fabricii Bib. Latina, Ernesti, v. 1. p. 276.

At non historia cesserit Graecis, nec opponere *Thucydidi Sallustium* verear: nec indignetur sibi *Herodotus* aequari T. Livium, quum in narrando mirae ju-

cunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest, eloquentem : ita dicuntur omnia quum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam *Sallustii* velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quàm similes.

Quintiliani Inst: Lib. X.

T. LIVIUS.

PROEMIUM.

Facturusne operae pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim: quippe qui cum veterem, tum vulgatam esse rem videam; dum novi semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcunque erit, juvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi, pro virili parte et ipsum consuluisse; et si in tanta scriptorum turba, mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me consoler. Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur, et quae ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua: et legentium plerisque, haud dubito, quin primae origines, proximaque originibus, minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova, quibus jam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, uti me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe dum prisca illa tota mente repeto, avertam; omnis expers curae, quae scribentis animum, etsi non flectere a vero, solicitum tamen efficere possit. Quae ante conditam condendamve urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis,

primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, et ad Deos referre auctores: ea belli gloria est populo Romano, ut cum suum, conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat: tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiuntur. Sed haec et his similia utcunque animadversa, aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine: Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi militiaeque, et partum et auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere, capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Caeterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam sero avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit: adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia, invexere. Sed querelae, ne tum quidem gratae futurae, cum forsitan et necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiundae rei absint, cum bonis potius ominibus, votisque ac precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos esset libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successus prosperos darent.

LIBER PRIMUS, CAP. 57.

VIS IN LUCRETIAM ILLATA. TARQUINII ROMA EXPULSI.
U. C. 245.

ARDEAM Rutuli habebant; gens, ut in ea regione atque in ea aetate, divitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus, tum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delinire popularium animos studebat, praeter aliam superbiam regno infestos etiam, quod se in fabrorum ministeriis ac servili tamdiu habitos opere ab rege indignabantur. Tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset; ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. In iis stativis, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant: primoribus tamen magis, quam militibus. Regii quidem juvenes interdum otium conviviis commessationibusque inter se terebant. Forte potantibus his apud Sextum Tarquinium, ubi et Collatinus coenabat Tarquinius Egerii filius, incidit de uxoribus mentio: suam quisque laudare miris modis; inde certamine accenso, Collatinus negat verbis opus esse: paucis id quidem horis posse sciri, quantum caeteris praestet Lucretia sua; *quin si vigor juventae inest, conscendimus equos: invisimusque praesentes nostrarum ingenia? Id cuique spectatissimum sit, quod nec opinato viri adventu occurrerit oculis;* incaluerant vino, [1] *age sane;* omnes citatis equis advolant Romam; quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam: ubi Lucretiam, haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam

[1] Age sane.] Verba sunt Tarquiniorum assentientium dictis Collatini.

lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit; adveniens vir Tarquiniique excepti benigne; victor maritus comiter invitat regios juvenes; ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiae per vim stuprandae capit: tum forma; tum spectata castitas incitat: et tum quidem ab nocturno juvenili ludo in castra redeunt.

Paucis interjectis diebus, Sextus Tarquinius, inscio Collatino, cum comite uno Collatiam venit; ubi exceptus benigne ab ignaris consilii: cum post coenam in hospitale cubiculum deductus esset: amore ardens, postquam satis omnia tuta circa, sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, sinistraque manu mulieris pectore oppresso, *Tace Lucretia*, inquit, *Sextus Tarquinius sum, ferrum in manu est: moriere, si emiseris vocem.* Cum pavida e somno mulier, nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem; orare, miscere precibus minas: versare in omnes partes muliebrem animum; ubi obstinatam videbat, et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus; cum mortua jugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset: Lucretia moesta tanto malo nuncium Romam eundem ad patrem, Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse: rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit; cum quo forte Romam rediens, ab nuncio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem moestam in cubiculo inveniunt; adventu suorum lachrymae obortae, quaerentique viro, [1] *satin' salvae? minime*, inquit, *quid enim salvi est mu-*

[1] Satin' salvae.] Supple *res essent*. Forma salutandi.

lieri amissa pudicitia? vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo, caeterum corpus est tantum violatum, animus insons: mors testis erit; sed date dextras fidemque, haud impune adultero fore. Sex. est Tarquinius, qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium. Dant ordine omnes fidem: consolantur aegram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti; mentem peccare, non corpus: et unde consilium abfuerit, culpam abesse. *Vos*, inquit, *videritis quid illi debeatur: ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero, nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo vivet.* Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsaque in vulnus, moribunda cecidit; conclamant vir paterque.

Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiae extractum, manantem cruore prae se tenens, *Per hunc*, inquit, *castissimum, ante regiam injuriam, sanguinem juro, vosque dii testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata conjuge, et omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi possim, exequuturum: nec illos, nec alium quemquam regnare Romae passurum.* Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. Ut praeceptum erat, jurant: totique ab luctu versi in iram, Brutum jam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiae corpus, in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei novae atque indignitate homines; pro se quisque scelus regium ac vim queruntur; movet tum patris moestitia, tum Brutus castigator lacrimarum atque inertium querelarum, auctorque quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adversus hostilia ausos. Ferocissimus quisque juvenum cum armis voluntarius adest. Sequitur et caetera juventus; inde pars praesidio relicto Collatiae ad portas, custodibusque datis, ne quis eum

motum regibus nunciaret; caeteri armati duce Bruto Romam profecti; ubi eo ventum est, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit; rursus ubi anteire primores civitatis vident, quicquid sit, haud temere esse rentur: nec minorem motum animorum Romae tam atrox res facit, quam Collatiae fecerat. Ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur; quo simul ventum est, praeco ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. Ibi oratio habita, nequaquam ejus pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sexti Tarquinii, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitate Tricipitini, cui morte filiae causa mortis indignior ac miserabilior esset: addita superbia ipsius regis, miseriaeque et labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas demersae. Romanos homines, victores omnium circa populorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna Servii Tullii regis memorata caedes, et invecta corpori patris nefando vehiculo filia: invocatique ultores parentum dii. His atrocioribusque, credo, aliis, quae praesens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subjicit, memoratis, incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, exulesque esse juberet L. Tarquinium cum conjuge ac liberis; ipse junioribus qui ultro nomina dabant lectis armatisque, ad concitandum inde adversus regem exercitum Ardeam in castra est profectus, imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis jam ante ab rege instituto, reliquit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit: execrantibus, quacunque incedebat, invocantibusque parentum furias viris mulieribusque.

Harum rerum nunciis in castra perlatis, cum re nova trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, flexit viam Brutus (senserat enim adventum) ne obvius fieret; eodemque fere tempore diversis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinius Romam, vene-

runt. Tarquinio clausae portae, exiliumque indictum: liberatorem urbis laeta castra accepere; exactique inde liberi regis; duo patrem secuti sunt, qui exulatum Caere in Hetruscos ierunt. Sextus Tarquinius Gabios, tanquam in suum regnum profectus, ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse caedibus rapinisque conciverat, est interfectus. L. Tarquinius Superbus regnavit annos v. et xx. Regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos ccxliv. Duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex[1] commentariis Servii Tullii creati sunt, L. Junius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus.

LIBER SECUNDUS, CAP. 19.

PUGNA REGILLENSIS. U. C. 255.

T. Ebutio et C. Vetusio consulibus, Fidenae obsessae, Crustumeria capta, Praeneste ab Latinis ad Romanos descivit; nec ultra bellum Latinum, gliscens jam per aliquot annos, dilatum. A. Posthumius dictator, T. Ebutius magister equitum magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt, et quia Tarquinios esse in exercitu Latinorum auditum est, sustineri ira non potuit, quin extemplo confligerent; ergo etiam praelium aliquanto quam caetera gravius atque atrocius fuit; non enim duces ad regendam modo consilio rem affuere, sed suismet ipsi corporibus dimicantes miscuere certamina; nec quisquam procerum ferme hac aut illa ex acie sine vulnere, praeter dictatorem Romanum, excessit. In Posthumium prima

[1] Vide supra cap. 48. e Dionysius quoque testatur, Servium in animo habuisse deponere imperium. Potuit itaque commentarios conficere, in quibus eam regendae reipublicae formam describeret, quam libera olim civitas Romana constituere deberet. Atque hoc modo intelligenda videntur haec Livii verba.

in acie suos adhortantem instruentemque, Tarquinius Superbus, quamquam jam aetate et viribus erat gravior, equum infestus admisit: ictusque ab latere, concursu suorum, receptus in tutum est. Et ad alterum cornu Ebutius magister equitum in Octavium Mamilium impetum dederat: nec fefellit veniens Tusculanum ducem: [1] contra quem et ille concitat equum; tantaque vis infestis venientium hastis fuit; ut brachium Ebutio trajectum sit, Mamilio pectus percussum. Hunc quidem in secundam aciem Latini recepere. Ebutius cum saucio brachio tenere telum non posset, pugna excessit. Latinus dux nihil deterritus vulnere, praelium ciet; et quia suos perculsos videbat, accersit cohortem exulum Romanorum, cui L. Tarquinii filius praeerat; ea quo majore pugnabat ira ob erepta bona, patriamque ademptam, pugnam parumper restituit.

Referentibus jam pedem ab ea parte Romanis, M. Valerius, Publicolae frater, conspicatus ferocem juvenem Tarquinium ostentantem se in prima exulum acie, domestica etiam gloria accensus, ut cujus familiae decus ejecti reges erant, ejusdem interfecti forent, subdit calcaria equo, et Tarquinium infesto spiculo petit. Tarquinius retro in agmen suorum infenso cessit hosti. Valerium temere invectum in exulum aciem ex transverso quidem adortus transfigit: nec quicquam equitis vulnere equo retardato; moribundus Romanus labentibus super corpus armis ad terram defluxit. Dictator Posthumius postquam cecidisse talem virum, exules ferociter citato agmine invehi, suos perculsos cedere, animadvertit: cohorti suae, quam de electa manu praesidii causa circa se habebat, [2] dat signum, ut quem suorum fugientem viderint, pro hoste habeant; ita metu ancipiti versi a fuga Romani in hostem

[1] Contra quem.] Contra Ebutium ipse quoque Mamilius equum concitat.

[2] Dat signum.] Hoc est, jussu imperatoris per totam aciem, singulis ad proximos perferentibus, nunciatum est; eodem modo quo signum ante pugnam datur.

et restituta acies. Cohors dictatoris tum primum praelium iniit; integris corporibus animisque, fessos adorti exules caedunt. Ibi alia inter proceres coorta pugna; imperator Latinus ubi cohortem exulum a dictatore Romano prope circumventam vidit, ex subsidiariis manipulos aliquot in primam aciem secum rapit; hos agmine venientes T. Herminius legatus conspicatus, interque eos insignem veste armisque Mamilium noscitans, tanto vi majore, quam paulo ante magister equitum cum hostium duce praelium iniit, ut et uno ictu transfixum per latus occiderit Mamilium, et ipse inter spoliandum corpus hostis veruto percussus, cum victor in castra esset relatus, inter primam curationem exspiraverit. Tum ad equites dictator advolat obtestans, ut fesso jam pedite, descendant ex equis, et pugnam capessant; dicto paruere: desiliunt ex equis, provolant in primum, et pro [1] antesignanis parmas objiciunt; recipit extemplo animum pedestris acies, postquam juventutis proceres aequato genere pugnae secum partem periculi sustinentes vidit; tum demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies, equitibus admoti equi, ut persequi hostem possent, secuta et pedestris acies. Ibi nihil nec divinae nec humanae opis Dictator praetermittens, aedem Castori vovisse fertur, ac pronunciasse militi praemia, qui primus, qui secundus castra hostium intrasset; tantusque ardor fuit, ut eodem impetu, quo fuderant hostem, Romani castra caperent. Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum est. Dictator et magister equitum triumphantes in urbem rediere.

[1] Antesignanis.] Antesignani ii sunt qui ante signa in acie locantur. Probat Lipsius L. iv. de Milit. Rom. Dial. 3. antesignanorum nomine intelligi totam primam aciem, sive Hastatos legionum; non quod ii ante omnia signa essent, siquidem sua habuere; sed quia ante praecipua legionum signa, quae longius ab hoste removebantur.

LIBER III. 43.

APPIUS ET VIRGINIA. U. C. 305.

SEQUITUR aliud in urbe nefas ab libidine ortum, haud minus foedo eventu, quam quod per stuprum caedemque Lucretiae urbe regnoque Tarquinios expulerat: ut non finis solum idem decemviris, qui regibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Appium Claudium virginis plebeiae stuprandae libido coepit. Pater virginis L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti domi militiaeque; perinde uxor instituta fuerat, [1] liberi quoque instituebantur. Desponderant filiam L. Icilio tribunitio, viro acri, et pro causa plebis expertae virtutis. Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius, amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus, postquam omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit. Marco Claudio clienti negotium dedit, virginem in servitutem [2] assereret, neque cederet secundum libertatem, postulantibus vindicias: quod pater puellae abesset, locum injuriae esse ratus. Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis literarum ludi erant) minister decemviri libidinis manum injecit, "serva sua natam, servamque appellans, esse: sequique se jubebat, cunctantem vi abstracturum." Pavida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis, fit concursus. Virginii patris, sponsique Icilii populare nomen celebratur: notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Jam a vi tuta erat, cum

[1] Liberi.] Vox *Liberi* de unico filio unicave filia dicebatur. Itaque nihil vetat hic intelligi solam Virginiam.

[2] Virginem.] Ut postularet virginem sibi addici, tanquam servam suam; neque cederet iis qui postulaturi essent, ut lite pendente, Virginia in possessione libertatis maneret. *Vindiciarum* nomine intelligitur momentanea possessio rei controversae, donec de ipsa rei proprietate decretorio statuatur.

[1] assertor "nihil opus esse multitudine concitata, ait: se jure grassari, non vi," vocat puellam in jus. [2] Auctoribus qui aderant, ut sequeretur; ad tribunal Appii perventum est, notam judici fabulam petitor, quippe apud ipsum auctorem argumenti, peragit; puellam domi suae natam, furtoque inde in domum Virginii translatam, suppositam ei esse; id se indicio compertum afferre: probaturumque vel ipso Virginio judice, ad quem major pars injuriae ejus pertineat; interim dominum sequi ancillam aequum esse. Advocati puellae, cum Virginium reipublicae causa dixissent abesse, biduo affuturum, si nunciatum ei sit, iniquum esse absentem de liberis dimicare, postulant ut rem integram in patris adventum differat: lege ab ipso lata, vindicias det secundum libertatem, neu patiatur virginem adultam famae priusquam libertatis periculum adire. Appius decreto praefatus, "quam libertati faverit, eam ipsam legem declarare, quam Virginii amici postulationi suae praetendant; caeterum ita in ea firmum libertati fore praesidium, si nec causis nec personis variet; in his enim quae asserantur in libertatem, quia quivis lege agere possit, id juris esse: in ea quae in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat, placere itaque patrem accersiri: interea juris sui jacturam assertorem non facere, quin ducat puellam, sistendamque in adventum ejus qui pater dicatur, promittat." Adversus injuriam decreti cum multi magis fremerent, quam quisquam unus recusare auderet, P. Numitorius puellae avunculus, et sponsus Icilius interveniunt: dataque inter turbam via, cum multitudo Icilii maxime interventu resisti posse Appio crederet, lictor *decresse* ait, vociferantemque Icilium

[1] Assertor.] M. Claudius, qui virginem in servitutem asserebat, seu petebat.

[2] Auctoribus.] Iis qui aderant puellae, sive *advocatis* puellae, ut infra appellantur, qui ejus causam auctoritate, gratia, consilio tuebantur, suadentibus ei ut sequeretur.

summovet. Cum placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendisset: "Ferro hinc tibi summovendus sum, Appi," inquit, "ut tacitum feras, quod celari vis; virginem ego hanc sum ducturus, nuptam pudicamque habiturus, proinde omnes collegarum quoque lictores convoca, expediri virgas et secures jube; non manebit extra domum patris sponsa Icilii; non si tribunitium auxilium et provocationem plebi Romanae, duas arces libertatis tuendae, ademistis, ideo in liberos quoque nostros conjugesque regnum vestrae libidini datum est: saevite in tergum, et in cervices nostras, pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis afferetur, ego praesentium Quiritium pro sponsa, Virginius militum pro unica filia, omnes deorum hominumque implorabimus fidem: neque tu istud unquam decretum sine caede nostra referes. Postulo, Appi, et jam atque etiam consideres, quo progrediare. Virginius viderit de filia, ubi venerit, quid agat: hoc tantum sciat, sibi, si [1] hujus vindiciis cesserit, conditionem filiae quaerendam esse, me vindicantem sponsam in libertatem vita citius deseret, quam fides." Concitata multitudo erat, certamenque instare videbatur; lictores Icilium circumsteterant: nec ultra minas tamen processum est, cum Appius, "Non Virginium defendi ab Icilio, sed inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem locum seditionis quaerere diceret: non praebiturum se illi eo die materiam, sed ut jam sciret, non id petulantiae suae, sed Virginio absenti, et patrio nomini, et libertati datum, jus eo die se non dicturum, neque decretum interpositurum: a M. Claudio petiturum, ut decederet jure suo, vindicarique puellam in posterum diem pateretur; quod nisi pater postero die affuisset, denunciare se Icilio, similibusque Icilii, neque legi suae latorem, neque decemviro constantiam dicere: nec se utique collegarum

[1] Hujus.] M. Claudii assertoris. Vindiciis.] Hic *Vindiciae* sumi videntur pro actione qua petitur possessio, non pro possessione ipsa.

lictores convocaturum ad coercendos seditionis auctores, contentum se suis lictoribus fore." Cum dilatum tempus injuriae esset, secessissentque advocati puellae, placuit omnium primum fratrem Icilii, filiumque Numitorii, impigros juvenes, pergere inde recta ad portam, et quantum accelerari posset, Virginium acciri e castris: in eo verti puellae salutem, si postero die vindex injuriae ad tempus praesto esset. Jussi pergunt, citatisque equis nuncium ad patrem perferunt. Cum instaret assertor puellae ut vindicaret sponsoresque daret: atque idipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens, dum praeriperent iter nuncii missi in castra: manus tollere undique multitudo, et se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere, atque ille lachrymabundus, "Gratum est," inquit: "crastina die vestra opera utar; sponsorum nunc satis est." Ita vindicatur Virginia, spondentibus propinquis. Appius paulisper moratus, ne ejus rei causa sedisse videretur: postquam omissis rebus aliis, prae cura unius, nemo adibat, domum se recepit: collegisque in castra scribit, ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant. Improbum consilium, ferum, ut debuit, fuit: et jam commeatu sumpto, profectus Virginius prima vigilia erat, cum postero die mane de retinendo eo nequicquam literae redduntur. At in urbe prima luce, cum civitas in foro expectatione erecta staret, Virginius sordidatus filiam secum obsoleta veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingente advocatione in forum deducit; circumire ibi et prensare homines coepit: et non orare solum precariam opem, sed pro debita petere, "Se pro liberis eorum ac conjugibus quotidie in acie stare, nec alium virum esse, cujus strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent; quid prodesse, si incolumi urbe, quae capta ultima timeantur, liberis suis sint patienda?" Haec prope concionabundus circumibat homines. Similia his ab Icilio jactabantur; comitatus muliebris plus

tacito fletu, quam ulla vox movebat. Adversus quae omnia obstinato animo Appius (tanta vis amentiae verius quam amoris mentem turbaverat) in tribunal ascendit: et ultro querente pauca petitore, quod jus sibi pridie per ambitionem dictum non esset, priusquam aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem decreto sermonem praetenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderunt, quia nusquam ullum in tanta foeditate decreti verisimilem invenio: id quod constat, nudum videtur proponendum, dare se vindicias secundum servitutem. Primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquandiu tenuit; deinde cum M. Claudius circumstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilisque eum mulierum comploratio excepisset: Virginius intentans in Appium manus, "Icilio," inquit, "Appi, non tibi, filiam despondi, et ad nuptias, non ad stuprum educavi; placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere? passurine hac isti sint, nescio; non spero esse passuros illos, quia arma habent." Cum repelleretur assertor virginis a globo mulierum circumstantiumque advocatorum, silentium factum per praeconem. Decemvir alienato ad libidinem animo, negat ex hesterno tantum convitio Icilii, violentiaque Virginii, cujus testem P. R. habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere: nocte tota coetus in urbe factos esse ad movendam seditionem; itaque se haud inscium ejus dimicationis cum armatis descendisse, non ut quenquam quietum violaret, sed ut turbantes civitatis otium pro majestate imperii coerceret: proinde quiesse erit melius. "I," inquit, "lictor, summove turbam, et da viam domino deprehendendum mancipium." Cum haec intonuisset plenus irae, multitudo ipsa sua sponte dimovit; desertaque praeda injuriae puella stabat. Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilii vidit: "Quaeso," inquit,

"Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum invectus: deinde sinas hic coram virginem nutricem percontari, quid hoc rei sit: ut si falso pater dictus sum, aequiore hinc animo discedam." Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacinae ad tabernas, quibus nunc Novis est nomen, atque ibi ab lanio cultro arrepto: "Hoc te uno, quo possum," ait, "modo, filia, in libertatem vindico;" pectus deinde puellae transfigit, respectansque ad tribunal, "Te," inquit, "Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro." Clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius comprehendi Virginium jubet; ille ferro, quacunque ibat, viam facere, donec multitudine etiam prosequentium tuente ad portam perrexit. Icilius Numitoriusque exangue corpus sublatum ostentant populo: scelus Appii, puellae infelicem formam, necessitatem patris deplorant; sequentes clamitant matronae, "eamne liberorum procreandorum conditionem, ea pudicitiae praemia esse?" caeteraque quae in tali re muliebris dolor, quo est moestior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subjicit. Virorum, et maxime Icilii vox tota, tribunitiae potestatis, ac provocationis ad populum ereptae, publicarumque indignationum erat. Concitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionem repetendae libertatis. Appius nunc vocari Icilium, nunc retractantem arripi: postremo cum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse cum agmine patriciorum juvenum per turbam vadens, in vincla duci jubet. Jam circa Icilium non solum multitudo, sed duces quoque multitudinis erant L. Valerius et M. Horatius, qui repulso lictore, si jure ageret, vindicare se a privato Icilium ajebant: si vim afferre conaretur, ibi quoque haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium Horatiumque lictor decemviri invadit: franguntur a multitudine fasces. In concionem Appius ascendit; sequuntur Horatius Valeriusque; eos concio audit, de-

cemviro obstrepitur. Jam pro imperio Valerius discedere a privato lictores jubebat: cum fractis animis Appius, vitae metuens, in domum se propinquam foro insciis adversariis capite obvoluto recepit. Sp. Oppius ut auxilio collegae esset in forum ex altera parte irrumpit: videt imperium vi victum. Agitatus deinde consiliis, atque ex omni parte assentiendo, multis auctoribus trepidus, senatum postremo vocari jussit; ea res, quod magnae parti patrum displicere acta decemvirorum videbantur, spe per senatum finiendae potestatis ejus multitudinem sedavit. Senatus nec plebem irritandam censuit: et multo magis providendum ne quid Virginii adventus in exercitu motus faceret; itaque missi juniores patrum in castra, quae tum in monte Vecilio erant, nunciant decemviris, ut omni ope ab seditione milites contineant. Ubi Virginius majorem quam reliquerat in urbe, motum excivit.

LIB. VIII. CAP. 7.

T. MANLIUS SECURI PERCUSSUS. U. C. 337.

Ne quo errore milites caperentur, edicunt consules, "Ne quis extra ordinem in hostem pugnaret."

[1] Forte inter caeteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus evasit, ut vix teli jactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites; praeerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos, cum factis clarus. Is ubi Romanos equites insignemque inter eos praecedentem consulis filium (nam omnes inter se utique illustres viri noti erant) cognovit: "Unanè," ait, "turma, Romani, cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? Aderunt in tempore," Manlius inquit,

[1] Cap. VII.

"et cum illis aderit Jupiter ipse, foederum a vobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Si ad Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus profecto, nequid minus quam acies vobis et collata signa nobiscum cordi sint." Ad ea Geminius paululum ab suis equo provectus: "Visne igitur, dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum jam hinc eventu cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet?" Movet ferocem animum juvenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii, consulumque edicti, praeceps ad id certamen agitur, quo vinceret an vinceretur, haud multum interesset. Equitibus caeteris velut ad spectaculum summotis, spatio quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos: et cum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est; circumactis deinde equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit; ad cujus vulneris sensum cum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmaque innixum, attollentem se a gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terrae affixit, spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra, atque inde ad praetorium ad patrem tendit, ignarus fati, futurique, laus an poena merita esset. "Ut me omnes," inquit, "pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto." Quod ubi audivit consul, extemplo filium aversatus, concionem classico advocari jussit; quae ubi frequens convenit, "Quandoquidem," inquit, "tu, T. Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti, et quantum in te fuit, disciplinam militarem,

qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti: meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reip. mihi aut mei meorumque obliviscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem cum ingenita charitas liberum, tum specimen illud virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam, poena restituas: I, lictor, deliga ad palum." Exanimati omnes tam atroci imperio: nec aliter quam in se quisque districtam cernentes securim, metu magis quam modestia quievere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent, repente postquam cervice caesa fusus est cruor, tum libero conquestu coortae voces sunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur: spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur: *Manlianaque imperia* non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.

Fecit tamen atrocitas poenae obedientiorem duci militem: et praeterquam quod custodiae vigiliaeque et ordo stationum intentioris ubique curae erant, in ultimo etiam certamine, cum descensum in aciem est, ea severitas profuit.

LIBER IX. CAP. 16.

PAPIRIUS CURSOR. DISPUTATIO DE ALEXANDRO MAGNO ET ROMANIS. U. C. 435.

Inde ad triumphum decessisse Romam Papirium Cursorem scribunt, qui eo duce Luceriam receptam, Samnitesque sub jugum missos, auctores sunt. Et fuit vir haud dubie dignus omni bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit; victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt: et seu [1] virium vi, seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum: nec cum ullo asperiorem, quia ipse invicti ad laborem corporis esset, fuisse militiam pediti pariter equitique. Equites etiam aliquando ausos ab eo petere, ut sibi pro re bene gesta laxaret aliquid laboris; quibus ille: "Ne nihil remissum dicatis, remitto," inquit, "ne utique dorsum demulceatis cum ex equis descendetis." Et vis erat in eo viro imperii ingens pariter in socios civesque. Praenestinus praetor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem: quem cum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire secúrim jussit. Ad quam vocem exanimi stante Praenestino: "Agedum lictor, occide radicem hanc," inquit, "incommodam ambulantibus:" perfusumque ultimi supplicii metu, multa dicta, dimisit. Haud dubie illa aetate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana staret: [2] quin eum parem destinarent animis magno

1 Virium vi.] Parum usitata sane locutio, et cujus haud facile fortasse aliud exemplum reperias. Dicitur tamen, non absimili figura loquendi, *Robur virium.*

2 Quin eum parem destinant.] Sensus est: ubi quaeritur hodie, an aliquem Romani ducem opponere potuissent parem Alexandro, nominatur potissimum Papirius Cursor.

Alexandro ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset.

Nihil minus quaesitum a principio hujus operis videri potest, quam ut plus justo ab rerum ordine declinarem, varietatibusque distinguendo opera, et legentibus velut diverticula amoena, et requiem animo meo quaererem: tamen [2] tanti regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium: ut quaerere libeat, "quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit." Plurimum in bello pollere videntur militum copia et virtus, ingenia imperatorum, fortuna, per omnia humana, maxime in res bellicas potens. Ea et singula intuenti et universa, sicut ab aliis regibus gentibusque, ita et ab hoc quoque facile praestant invictum Romanum imperium. Jam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum: sed clariorem tamen eum facit, quod unus fuit; quod adolescens, in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus decessit. Ut alios reges claros ducesque omittam, magna exempla casuum humanorum: Cyrum quem maxime Graeci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut Magnum modo Pompeium, vertenti praebuit fortunae? Recenseam duces Romanos, nec omnes omnium aetatum, sed ipsos eos cum quibus consulibus aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum: M. Valerium Corvum, C. Martium Rutilum, C. Sulpicium, T. Manlium Torquatum, Q. Publium Philonem, L. Papirium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, Manium Curium. Deinceps ingentes sequuntur viri, [3] si Punicum

[2] Tanti regis mentio.] Postquam semel mentionem fecit tanti regis ac ducis, Alexandri, hinc data occasione facile adducor, ut in medium proferam eas cogitationes, quas saepe, perpendens ea quae ad illum regem ejusque res gestas pertinent, animo volutavi.

[3] Si Punicum.] Si Alexander prius cum Poenis bellum, quam cum Romanis, gessisset.

Romano praevertisset bellum, seniorque in Italiam trajecisset. Horum in quolibet tum indoles eadem quae in Alexandro erat animi ingeniique; tum disciplina militaris jam inde ab initiis urbis tradita per manus, in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum venerat. Ita reges gesserant bella: ita deinde exactores regum, Junii Valeriique; ita deinceps Fabii, Quintii, Cornelii: ita Furius Camillus, quem juvenes ii, quibus cum Alexandro dimicandum erat, senem viderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexandro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) cessisset videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Corvinus, insignes ante milites, quam duces? Cessissent Decii, devotis corporibus in hostem ruentes? Cessisset Papyrius Cursor illo corporis robore, illo animi? Victus esset consiliis juvenis unius, ne singulos nominem, senatus ille? [1] quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani [2] senatus cepit. Id erat periculum, ne solertius, quam quivis unus ex iis quos nominavi, castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis praecaveret, tempus pugnae eligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret? Non jam cum Dario rem esse dixisset: quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, enervatum fortunae suae apparatibus, praedam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere, incruentus devicit. Longe alius Italiae, quam Indiae, per quam temulento agmine comessabundus incessit, visus illi habitus esset; saltus Apuliae, ac montes Lucanos cernenti, et vestigia recentia domesticae cladis: ubi avunculus ejus nuper Epiri rex Alexander absumptus erat.

1 Quem qui ex regibus.] Hic fuit *Cineas*, Pyrrhi regis legatus.

2 Senatus cepit.] Vera sub imagine Romanum Senatum sibi exhibuit; veram senatus Romani notionem assecutus est. Sic Horat. Sat. 3. Lib. ii. 208. *Qui species alias veris.....capiet:* id est, qui imagines rerum, sive notiones sibi finget diversas a veris.

Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. Qui si ex habitu novae fortunae, novique (ut ita dicam) ingenii, quod sibi victor induerat, spectetur, Dario magis similis quam Alexandro in Italiam venisset, et exercitum Macedoniae oblitum, degenerantemque jam in Persarum mores adduxisset. Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, et desideratas humi jacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus: et foeda supplicia: et inter vinum et epulas caedes amicorum: et vanitatem ementiendae stirpis. Quid si vini amor indies fieret acrior? quid si trux ac praefervida ira? (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nullane haec damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id vero periculum erat, quod levissimi ex Graecis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriae favent, dictitare solent, ne majestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Rom. et adversus quem Athenis, in civitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, concionari libere ausi sint homines (id quod ex monumentis orationum patet) adversus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, unius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta paulo plus decem annorum felicitate: quam qui eo extollunt, quod populus Rom. etsi nullo bello, multis tamen praeliis victus sit, Alexandro nullius pugnae non secunda fortuna fuerit, non intelligunt se unius hominis res gestas, et ejus juvenis, cum populi jam [1] octingentesimum bellantis annum rebus conferre. Miremur, si cum ex hac parte [2] se-

[1] Octingentesimum.] Numerat Livius ad suam usque aetatem. Scribebat autem haec circa annum u. c. plus minus 735.

[2] Secula.] Viri docti *secula* hic intelligunt *aetates*, sive γενεας, quales in quolibet centum annorum spatio ternae continentur. Nec aliter dixerit vere Livius plura *secula* ex una parte numerari, quam ex altera *annos*.

cula plura numerentur, quam ex illa anni: plus in tam longo spatio quam in aetate XIII. annorum fortuna variaverit? Quin tu hominis cum homine, et ducis cum duce, fortunam cum fortuna, confers? Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam adversa fortunae fuit? Paginas in annalibus magistratuum factisque percurrere licet, consulum dictatorumque, quorum nec virtutis nec fortunae ullo die populum Rom. poenituit. Et quo sint mirabiliores, quam Alexander, aut quisquam alius rex: denos vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plusquam annum consulatum gessit; ab Tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum causa, revocati sunt: in ipso conatu rerum circum egit se annus: collegae nunc temeritas, nunc pravitas, impedimento aut damno fuit: male gestis rebus alterius successum est: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At, hercule, reges, non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non sequuntur. Invictus ergo Alexander cum invictis ducibus bella gessisset: et eadem fortunae pignora in discrimen detulisset: immo etiam eo plus periculi subisset, quod Macedones unum Alexandrum habuissent, multis casibus non solum obnoxium, sed etiam offerentem se: Romani multi fuissent, Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares: [1] quorum suo quisque fato, sine publico discrimine viveret, morereturque.

[2] Restat, ut copiae copiis comparentur, vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. Censebantur ejus aetatis lustris ducena quinquagena millia capitum. Itaque in omni defectione sociorum Latini nominis, urbano prope delectu ducem scribebantur le-

1 Quorum suo quisque fato.] Quorum unusquisque sibi viveret, sibi moreretur, ita ut ex ista ejus aut morte nihil discriminis respublica sentiret; ita ut viveretne ille an moreretur, reipublicae parum interesset.

giones : quaterni, quinique exercitus saepe per eos annos in Hetruria, in Umbria, Gallis hostibus adjunctis, in Samnio, in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis et Volscis, et Æquis, et omni Campania, et parte Umbriae Hetruriaeque, et Picentibus, et Marsis, Pelignisque, ac Vestinis, atque Apulis, adjunctaque omni ora Graecorum inferi maris a Thuriis Neapolim et Cumas, et inde Antio atque Ostiis tenus, Samnites, aut socios validos Romanis, aut fractos bello invenisset hostes ; ipse trajecisset mare cum veteranis Macedonibus, non plus triginta millibus hominum, et quatuor millibus equitum, maxime Thessalorum ; hoc enim roboris erat. Persas, Indos, aliasque si adjunxisset gentes, impedimentum majus quam auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset : Alexandro (quod postea Annibali accidit) alieno in agro bellanti, exercitus consenuisset. Arma, clypeus, [1] sarissaeque illis ; Romano scutum, majus corpori tegumentum, et pilum, haud paulo quam hasta vehementius ictu missuque telum. Statarius uterque miles, ordines servans : sed illa phalanx immobilis, et unius generis : Romana acies distinctior, ex pluribus partibus constans : facilis partienti quacunque opus esset, facilis jungenti. Jam in opere quis par Romano miles ? quis ad tolerandum laborem melior ? uno praelio victus Alexander, bello victus esset. Romanum, quem Caudium, quem Cannae non fregerunt, quae fregisset acies ? Ne ille saepe etiam si prima prospere evenissent, Persas et Indos, et imbellem Asiam quaesisset, et cum foeminis sibi bellum fuisse dixisset : quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asia gestorum ab hoc ipso juvene cum sua conferentem. Equidem cum per annos quatuor et viginti primo Punico bello classibus certatum cum

[1] Sarissae.] Praelongae hastae, Macedonum propriae.

Poenis recordor, vix aetatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad unum bellum. Et forsitan, cum et foederibus vetustis juncta Punica res Romanae esset, et timor par adversus communem hostem duas potentissimas armis virisque urbes armaret, simul Punico Romanoque obrutus bello esset. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus, sed experti tamen sunt Romani Macedonum hostem adversus Antiochum, Philippum et Persen, non modo cum clade ulla, sed ne cum periculo quidem suo. Absit invidia vero, et civilia bella sileant; [1] nunquam ab equite hoste, nunquam ab pedite, nunquam aperta acie, nunquam aequis, utique nunquam iniquis locis laboravimus. Equitem, sagittas, saltus impeditos, avia commeatibus loca, gravis armis miles timere potest. Mille acies graviores quam Macedonum atque Alexandri, avertit, avertetque; modo sit perpetuus hujus, qua vivimus, pacis amor, et civilis cura concordiae.

[1] Nunquam.] Hic nempe deflexit nostrum a vero Romanae laudis nimius amor. Quonam enim modo qui Alliensis Cannensisque cladium meminerit, jactare potest, Romanos, nunquam *aperta acie* laborasse.

LIBER XXI. CAP. 27.

ANNIBAL TRAJICIT RHODANUM. U. C. 534.

JAMQUE omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso[1] hostes, omnem ripam equis virisque obtinentes; quos ut averteret, Hannonem *Bomilcaris filium, vigilia prima noctis, cum parte copiarum, maxime Hispanis, adverso flumine ire iter unius diei* jubet; *et ubi primo possit, quam occultissime trajecto amni, circumducere agmen: ut cum facto opus sit, adoriatur ab tergo hostem;* ad id dati duces Galli edocent, inde millia quinque et viginti ferme supra, parvae insulae circumfusum amnem, latiorem ubi dividebatur, eoque minus alto alveo, transitum ostendere. Ibi raptim caesa materia, ratesque fabricatae, in quibus equi virique, et alia onera trajicerentur. Hispani, sine ulla mole, in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris suppositis incubantes flumen transnatavere. Et alius exercitus ratibus junctis trajectus, castris prope flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur, intento duce ad consilium opportune exequendum. Postero die profecti ex loco, prodito fumo significant se transisse, et haud procul abesse; quod ubi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad trajiciendum. Jam paratas aptatasque habebat pedes lintres; eques fere praeter equos nantes navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infra trajicientibus lintribus praebebat; equorum pars magna nantes loris a puppibus trahebantur, praeter eos, quos instructos fraenatosque, ut extemplo egresso in ripam equiti usui essent, imposuerant in naves.

[1] Hostes.] Galli.

Galli occursant in ripam cum variis ululatibus, cantuque moris sui, quatientes scuta super capita, vibrantesque dextris tela: quanquam ex adverso terrebat tanta vis navium cum ingenti sono fluminis, et clamore vario nautarum et militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, et qui ex altera ripa trajicientes suos hortabantur. Jam satis paventes adverso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis; mox et ipse aderat, ancepsque terror circumstat: et e navibus tanta vis armatorum in terram evadens, et a tergo improvisa premebat acies. Galli postquam vim facere conati, ultro pellebantur: qua patere visum maxime iter, perrumpunt: trepidique in vicos passim suos diffugiunt. Annibal caeteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus, castra locat. Elephantorum trajiciendorum varia consilia fuisse credo: certe varia memoria est actae rei; quidam, congregatis ad ripam elephantis, tradunt ferocissimum ex iis irritatum a rectore suo, cum refugientem eum in aquam natantem sequeretur, traxisse gregem, ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Caeterum magis constat ratibus trajectos, id ut tutius consilium ante rem foret, ita, acta re, ad fidem pronius est. Ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, a terra in amnem porrexerunt: quam ne secunda aqua deferretur, pluribus retinaculis validis parte superiore ripae religatam, pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluae audacter velut per solum ingrederentur; altera ratis aeque lata, longa pedes centum, ad trajiciendum flumen apta, huic copulata est: et cum elephanti per stabilem ratem, tanquam viam, praegredientibus foeminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt: ea extemplo resolutis quibus leviter annexa erat vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam

pertrahitur: ita primis expositis, alii deinde repetiti ac trajecti sunt; nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur; primus erat pavor, cum soluta ab caeteris rate in altum raperentur; ibi urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationem aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circumspicientibus aquam fecisset; excidere etiam saevientes quidam in flumen, sed pondere ipso stabiles, dejectis rectoribus, quaerendis pedetentim vadis, in terram evasere.

Dum elephanti trajiciuntur, interim Annibal Numidas equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum, *ubi et quantae copiae essent, et quid pararent;* huic alae equitum, missi, ut ante dictum est, ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt; praelium atrocius quam pro numero pugnantium editur; nam praeter multa vulnera, caedes etiam prope par utrinque fuit: fugaque et pavor Numidarum Romanis jam admodum fessis victoriam dedit; victores ad centum sexaginta, nec omnes Romani, sed pars Gallorum victi amplius ducentis ceciderunt. Hoc principium, simulque omen belli, ut summae rerum prosperum eventum, ita haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita gesta, ad utrumque ducem sui redierunt. Nec Scipioni stare sententia poterat, nisi ut ex consiliis coeptisque hostis et ipse conatus caperet; et Annibalem incertum, utrum coeptum in Italiam intenderet iter, an cum eo, qui primus se obtulisset Romanus exercitus, manus consereret, averterat a praesenti certamine Bojorum legatorum, regulique Matali adventus: qui *se duces itinerum, socios periculi fore* affirmantes, *integro bello, nusquam ante libatis viribus, Italiam aggrediendam censent.* Multitudo timebat quidem hostes, nondum obliterata memoria superioris belli: sed magis iter immensum Alpesque, rem fama utique inexpertis horrendam, metuebat.

LIBER XXI. CAP. 32-45.

ANNIBAL TRANSIT ALPES: ITALIAM INGREDITUR: CORNELII COS. ET ANNIBALIS ORATIONES.

Annibal ab Druentia campestri maxime itinere cum bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, quanquam fama prius, qua quidem incerta in majus vero ferri solent, percepta res erat: tamen ex propinquo visa montium altitudo, nivesque coelo prope immistae, tecta informia imposita rupibus, pecora, jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, caetera visu quam dictu foediora, terrorem renovavere. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani, qui si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stragemque dedissent. Annibal *consistere signa* jubet: Gallisque ad visenda loca praemissis, postquam comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia praeruptaque, quam extentissima potest valle, locat. Tum per eosdem Gallos, haud sane multum lingua moribusque abhorrentes, cum se immiscuissent colloquiis montanorum edoctus *interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta:* luce prima subiit tumulos, ut ex aperto atque interdiu viam per angustias facturus. Die deinde, simulando aliud quam quod parabatur, consumpto, cum eodem quo constiterat loco castra communisset, ubi primum degressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus quam pro numero manentium in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, et maxima parte peditum, ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit: iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit.

Prima deinde luce castra mota, et agmen reliquum incedere coepit; jam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant: cum repente conspiciunt alios arce occupata sua super caput imminentes, alios via transire hostes; utraque simul objecta res oculis, animisque immobiles parumper eos defixit; deinde ut trepidationem in angustiis, suoque ipso tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quicquid adjecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, perversis rupibus, juxta invia ac devia assueti discurrunt. Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur, plusque inter ipsos, sibi cuique tendenti ut periculo prius evaderet, quam cum hostibus certaminis erat: equi maxime infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussaeque valles augebant, territi trepidabant: et icti forte aut vulnerati adeo consternati sunt, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent: multosque [2] turba, cum praecipites diruptaeque utrinque angustiae essent, in immensum altitudinis dejecit; quosdam et armatos; inde ruinae maximae modo jumenta cum oneribus devolvebantur. Quae quanquam foeda visu erant, stetit parumper tamen Annibal, ac suos continuit, ne tumultum ac trepidationem augeret; deinde postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco: et cum impetu ipso fudisset hostem, suis tumultum auxit; sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur; nec per otium modo, sed prope silentio mox omnes traducti, castellum inde, quod caput

[2] Turba.) Turba est hic *tumultus*. Intelligendum est autem hunc tumultum accidisse maxime circa impedimenta. Itaque hi, qui dicuntur in immensum altitudinis dejecti, accipiendi sunt lixae ac calones.

ejus regionis erat, vicosque circumjectos capit, et captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit: et quia nec montanis primo perculsis, nec loco magnopere impediebantur, aliquantum eo triduo viae confecit.

Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum: ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est prope circumventus. Magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt: *alienis malis, utili exemplo doctos*, memorantes, *amicitiam malle quam vim experiri Poenorum: itaque obedienter imperata facturos; commeatum, itinerisque duces, et ad fidem promissorum obsides acciperet.* Annibal nec temere credendo, nec aspernando, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne cum respondisset, obsidibus quos dabant, acceptis, et commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus: nequaquam, ut inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti et equites erant: ipse post cum robore peditum circumspectans solicitus omnia, incedebat; ubi in angustiorem viam ex parte altera subjectam jugo insuper imminenti ventum est, undique ex insidiis barbari a fronte et a tergo coorti cominus eminusque petunt; saxa ingentia in agmen devolvunt; maxima ab tergo vis hominum urgebat; in eos versa peditum acies haud dubium fecit, quin nisi firmata extrema agmina fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum est; nam dum cunctaretur Annibal dimittere in angustias agmen, quia non, ut ipse equitibus praesidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat, occursantes per obliqua montani, perrupto medio agmine viam insedere, noxque una Annibali sine equitibus ac impedimentis acta est.

Postero die jam segnius intercursantibus barbaris, junctae copiae, saltusque haud sine clade, majore ta-

men jumentorum quam hominum pernicie, superatus; inde montani pauciores jam, et latrocinii magis quam belli more concursabant, modo in primum, modo in novissimum agmen: ut cuique aut locus opportunitatem daret: aut progressi morative aliquam occasionem fecissent. Elephanti, sicut praecipites per arctas vias magna mora agebantur: ita tutum ab hostibus quacunque incederent, quia insuetis adeundi propius metus erat, agmen praebebant. Nono die in jugum Alpium perventum est, per invia pleraque, et errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi fides iis non esset, temere initae valles a conjectantibus iter, faciebant. Biduum in jugis stativa habita: fessisque labore ac pugnando quies data militibus; jumentaque aliquot, quae prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis, in castra pervenere. Fessis taedio tot malorum, nivis etiam casus, occidente jam sidere [2] Vergiliarum, ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta quum signis prima luce motis segniter agmen incederet, pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret, praegressus signa Annibal, in promontorio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere jussis militibus Italiam ostentat, subjectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos: "moeniaque eos tum transcendere, non Italiae modo, sed etiam urbis Romae: caetera plana proclivia fore: uno, aut ad summum altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate habituros." Procedere inde agmen coepit: jam nihil ne hostibus quidem praeter parva furta per occasionem tentantibus. Caeterum iter multo quam in ascensu fuerat, ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arctiora sunt, difficilius fuit; omnis enim

[2] Vergiliarum.] Vergiliae sive Pleiades, sunt stellae septem in collo Tauri. Occasus Pleiadum de quo hic agit Livius, contingebat, Plinii aevo, iii. Idus Novembris.

ferme via praeceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se a lapsu possent: nec, si qui paululum titubassent, haerere afflicti vestigio suo; aliique super alios, et jumenta et homines occiderent.

Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Natura locus jam ante praeceps, recenti terrae lapsu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viae equites constitissent, miranti Annibali quae res moraretur agmen, nunciatur, rupem inviam esse; digressus deinde ipse ad locum visendum: haud dubia res visa, quin per invia circa, nec trita antea, quamvis longo ambitu, circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit; nam cum super veterem nivem intactam nova modicae altitudinis esset: molli, nec praealtae nivi faciles pedes ingredientium insistebant, ut vero tot hominum jumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem, fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur; tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie non recipiente vestigium, et in prono citius pede se fallente: et seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruissent, nec stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant; itaque in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. Jumenta secabant interdum etiam tum infimam ingredientia nivem, et prolapsa jactandis gravius in continendo ungulis penitus perfringebant: ut pleraque velut pedica capta haererent in durata et alta concreta glacie.

Tandem nequicquam jumentis atque hominibus fatigatis, castra in jugo posita, aegerrime ad idipsum loco purgato; tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit; inde ad rupem minuendam, per quam via una esse poterat, milites ducti: cum caedendum esse sax-

um, arboribus circa immanibus dejectis, detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum vis et venti apta faciendo igni coorta essent, succendunt, ardentiaque saxa infuso [1] aceto putrefaciunt; ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum; sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumptum, jumenta prope fame absumebantur; nuda enim fere cacumina sunt: et si quid est pabuli, obruunt nives; inferiores valles apricos quosdam colles habent, rivosque prope sylvas, etiam humano cultu digniora loca; ibi jumenta in pabulum missa, et quies muniendo fessis hominibus data triduo, inde ad planum descensum est etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis.

Hoc maxime modo perventum est in Italiam quinto mense a Carthagine Nova (ut quidam auctores sunt) quinto decimo die Alpibus superatis. Quantae copiae transgresso in Italiam Annibali fuerint, nequaquam inter auctores constat, qui plurimum centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt: qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum. L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Annibale scribit, maximus auctor me moveret, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribusque additis: cum his scribit octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam (magis affluxisse verisimile est, et ita quidam auctores sunt) ex ipso audisse Annibale, *postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equorum et aliorum jumentorum amisisse in Taurinis:* quae Gallis proxima gens erat, in Italiam digresso. Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpes transierit: vulgo credere Pennino, atque inde nomen et jugo Alpium inditum,

[1] Aceto.] Mirum sane, unde Annibali tantum suppeditaverit aceti. Et quidem nihil tale habet Polybius. Ceterum igni et aceto rumpi silices affirmat Plinius xxxiii. 3.

transgressum. Coelius per Cremonis jugum dicit transisse qui ambo saltus eum, non in Taurinos, sed per saltus montanos; ad Libuos Gallos deduxissent. Nec verisimile est, ea tum ad Galliam patuisse itinera: utique cum quae ad Penninum ferant, obsepta gentibus semigermanis fuissent; neque hercule montibus his (si quem forte id movit) ab transitu Poenorum ullo Veragri, incolae jugi ejus, norunt nomen inditum; sed ab [1] eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant.

Peropportune ad principia rerum Taurinis proxime genti adversus Insubres motum bellum erat; sed armare exercitum Annibal ut parti alteri auxilio esset, in reficiendo maxime sentientem contracta ante mala, non poterat: otium et enim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuvie tabeque, squalida et prope efferata corpora varie movebant. Ea P. Cornelio Cos. causa fuit: cum Pisas navibus venisset, exercitu a Manlio Attilioque accepto tyrone, et in novis ignominiis trepido, ad Padum festinandi, ut cum hoste nondum refecto manum consereret. Sed cum Placentiam Cos. venit, jam ex stativis moverat Annibal: Taurinorumque unam urbem caput gentis ejus, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat: junxissetque sibi, non metu solum, sed etiam voluntate Gallos accolas Padi, ni eos circumspectantes defectionis tempus, subito adventus Cos. oppressisset. Et Annibal movit ex Taurinis, incertus quae pars sequenda esset Gallos, praesertim se secuturos ratus. Jam prope in conspectu erant exercitus, convenerantque duces, sicut uterque inter se nondum satis noti, ita jam imbutus uterque quadam admiratione alterius; nam Annibalis et apud Romanos jam ante Sagunti excidium celeberrimum nomen erat? et Scipionem Annibal eo ipso, quod adversus se dux potissimum lectus esset, prae-

[1] Ab eo.] Deo, vel heroe.

stantem virum credebat; et auxerant inter se opinionem: Scipio, qui relictus in Gallia, obvius fuerat in Italiam transgresso Annibali: Annibal, conatu tam audaci trajiciendarum Alpium, et effectu. Occupavit tamen Scipio Padum trajicere: et ad Ticinum amnem motis castris; priusquam educeret in aciem, adhortandorum militum causa talem orationem exorsus est.

"Si eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos; quid enim adhortari referret aut eos equites, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent, aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus Hispaniae provinciae scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit; ego, ut Cos. ducem adversus Annibalem ac Poenos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli. Novo imperatori apud novos milites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli, neve hostem ignoretis: cum iis est vobis milites pugnandum, quos terra marique priore bello vicistis: a quibus stipendium per viginti annos exegistis: a quibus capta belli praemia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt: nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, qui plures pene perierint, quam supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies, imo umbrae hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque; ad haec, perusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque

arma, claudi ac debiles equi; cum hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil magis vereor, quam ne antequam vos cum hoste pugnaveritis, Alpes vicisse Annibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum foederum ruptore duce ac populo, deos ipsos, sine ulla humana ope, committere ac profligare bellum: nos, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere.

"Non vereor, ne quis me hoc [1] vestri adhortandi causa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Licuit mihi in Hispaniam provinciam meam ire, quo jam profectus eram, cum exercitu meo, ubi et fratrem consilii participem, ac periculi socium haberem: et Asdrubalem potius quam Annibalem hostem, et minorem haud dubie molem belli. Tamen cum praeterveherer navibus Galliae oram, ad famam hujus hostis in terram egressus, praemisso equitatu, ad Rhodanum movi castra, equestri praelio, qua parte copiarum conserendi manum fortuna data est, hostem fudi, peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram; regressus ad naves quanta maxime celeritate potui tanto maris terrarumque circuitu, in radicibus Alpium obvius fui. Huic timendo hosti utrum, cum declinarem certamen, improvisus videor incidisse, an occurrere in vestigiis ejus? lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri juvat, utrum alios certe repente Carthaginienses per viginti annos terra ediderit: an iidem sint, qui ad Ægates pugnavere insulas, et quos ab Eryce duodevicenis denariis aestimatos emisistis; et utrum Annibal hic sit aemulus itinerum Herculis, ut ipse fert, an vectigalis stipendiariusque et servus

[1] Vestri adhortandi causa.] Videretur ratio grammaticarum legum postulare vel *vestri adhortandorum*, vel *vos adhortandi*. Sed hanc loquendi formam compluribus ex probatissimo quoque scriptore exemplis tuentur Sanctius in Minerva Lib. iii. c. 8. et auctor Novae Methodi linguae Latinae in Observationibus ad Gerundia.

populi Romani a patre relictus: quem nisi Saguntinum scelus agitaret, respiceret profecto, si non patriam victam, domum certe, pacemque, et foedera Amilcaris scripta manu: qui jussus a Cos. nostro, praesidium deduxit ab Eryce: qui graves impositas victis Carthaginiensibus leges fremens moerensque accepit: qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque vos ego, milites, non eo solum animo, quo adversus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atque ira, velut si servos videatis vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos, ultimo supplicio humanorum, fame interficere; licuit classem victricem in Africam trajicere, atque intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus: emisimus ex obsidione: pacem cum victis fecimus: tutelae nostrae deinde [1] duximus, cum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis furiosum juvenem sequentes, oppugnatum patriam nostram veniunt. Atque utinam pro decore nobis hoc tantum, et non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliae ac Sardiniae, de quibus quondam agebatur: sed pro Italia nobis est pugnandum, nec est alius ab tergo exercitus: qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliae sunt, quas dum superat, comparari nova possint praesidia. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana moenia pugnemus. Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem ac liberos parvos armis protegere putet: nec domesticas solum agitet curas, sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus senatum populumque Romanum: qualis nostra vis virtusque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore."

Haec apud Romanos consul. Annibal rebus prius quam verbis adhortandos milites ratus, circumdato ad

[1] Duximus] Ad tutelam nostram pertinere existimavimus.

spectaculum exercitu, captivos montanos vinctos in medio constituit: armisque Gallicis ante eorum pedes projectis, interrogare interpretem jussit, quis, si vinculis levaretur, armaque et equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Cum ad unum ferrum pugnamque poscerent, et dejecta esset in id sors, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen eligeret. Ut cujusque sors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio exultans, cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat; ubi vero dimicarent, is habitus animorum non inter ejusdem modo conditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgo, ut non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudaretur.

Quum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde advocata, ita apud eos locutus fertur: "Si quem animum in alienae sortis exemplo paulo ante habuistis, eundem mox in aestimanda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites; neque enim spectaculum modo illud, sed quaedam veluti imago vestrae conditionis erat. Ac nescio an majora vincula, majoresque necessitates vobis quam captivis vestris fortuna circumdederit; dextra laevaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem navem habentibus: circa Padus amnis, major ac violentior Rhodano: a tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus transitae. Hic vobis vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis. Et eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne a diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus, nostris ereptas, nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent; quicquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem agite, cum diis bene juvantibus arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniae Celti-

beriaeque montibus, pecora consectando, nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis: tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, et magna operae pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec, quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaveritis victoriam fore. Saepe et contemptus hostis cruentum certamen edidit: et inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt. Nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est quod illi vobis comparandi sint? Ut viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna, taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano, terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniae et Galliae populos, vincentes huc pervenistis: pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipsa aestate caeso, victo, circumfesso a Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignoranteque ducem. An me in praetorio patris clarissimi imperatoris, prope natum, certe educatum, domitorem Hispaniae, Galliaeque, victorem eundem, non Alpinarum modo gentium, sed ipsarum, quod multo majus est, Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? cui si quis demptis signis Poenos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit Cos. Non ego illud parvi aestimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora: cum laudatis me milites, donatisque, alumnus prius omnium vestrum, quam imperator, procedam acie adversus ignotos inter se, ignorantesque."

"Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris: veteranum peditem, generosissimarum gentium equites frenatos et infrenatos, vos

socios fidelissimos fortissimosque, vos Carthaginienses, tum ob patriam, tum ob iram justissimam pugnaturos. Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto major spes majorque animus inferentis est vim, quam arcentis. Accendit praeterea animos et stimulat dolor, injuria, indignitas. Ad supplicium depoposcere me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis, deditos ultimis cruciatibus affecturi fuere. Crudelissima ac superbissima gens, sua omnia, suique arbitrii facit: cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere aequum censet: circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus; neque eos, quos statuit, terminos observat. Ne transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad Iberum est Saguntum: nusquam te vestigio moveris. Parum est, quod veterrimas provincias nostras Siciliam ac Sardiniam ademit, nisi adimat etiam Hispaniam: et si inde cessero, in Africam transcendet. Transcendet autem dico? duos Coss. hujus anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam misere. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicaverimus; illis timidis et ignavis licet esse, qui receptum habent, quos suus ager, sua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse, et omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut si fortuna dubitavit, in praelio potius quam in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, destinatumque in animo est, iterum dicam, vicistis; nullum incitamentum ad vincendum homini a diis immortalibus acrius datum est."

His adhortationibus cum utrinque ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum jungunt, tutandique pontis causa castellum superimponunt. Poenus, opere occupatis hostibus, Maharba-

lem cum ala Numidarum equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum populi Rom. agros mittit: Gallis parci quam maxime jubet, principumque animos solicitare ad defectionem. Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Insubrium, quinque millia passuum a vico tumulis consedit. Ibi Annibal castra habebat, revocatoque propere Maharbale, atque equitibus, cum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum praemonitumque ad cohortandos milites ratus, vocatis ad concionem certa praemia pronunciat, in quorum spem pugnarent: agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisque velit, immunem ipsi qui accepisset, liberisque: qui pecuniam quam agrum maluisset, ei se argento satisfacturum: qui sociorum cives Carthaginienses fieri vellent, potestatem facturum: qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cujus suorum popularium mutatam secum fortunam esse vellent: servis quoque dominos prosecutis libertatem promittit, binaque pro his mancipia dominis se redditurum. Eaque ut rata scirent fore, agnum laeva manu, dextra silicem retinens, *si falleret Jovem caeterosque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset:* secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Tum vero omnes, velut diis auctoribus; in spem suam quisque acceptis, id morae quod nondum pugnarent, ad potienda sperata rati, praelium uno animo et voce una poscunt.

LIBER XXII. CAP. 45.

PUGNA CANNENSIS. U. C. 536.

Dum altercationibus magis quam consiliis tempus teritur, Annibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructum, cum in castra caeteras reciperet copias, Numidas ad invadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores trans flumen mittit; quam inconditam turbam cum vixdum in ripam egressi clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas prope portas evecti sunt. Id vero indignum visum, *ab tumultuario*[1] *auxilio jam etiam castra Romana terreri*, ut ea modo una causa, ne extemplo transirent flumen, dirigerentque aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit; itaque Varro postero die, cui sors ejus diei imperii erat, nihil consulto collega[2] signum pugnae proposuit, instructisque copiis flumen[3] transduxit, sequente Paulo: quia magis non probare, quam non adjuvare consilium poterat. Transgressi flumen, eas quoque quas in castris minoribus habuerant copias suis adjungunt: atque ita instructa acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deinde pedites; laevum cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium juncti legionibus Romanis tenuerunt jaculatores, ex caeteris laevium armorum auxiliis prima acies facta. Coss. cornua tenent: Terentius laevum, Æmilius dextrum; Cn. Servilio media pugna tuenda data.

[1] Auxilio.] Numidis Auxiliaribus.

[2] Signum pugnae.] Sagum purpureum, quod super praetorium expanderetur.

[3] Flumen traduxit] Uterque exercitus fluvium trajecit, quod commodior esset illic campus ad instruendam aciem.

Annibal luce prima Balearibus leviqué alia armatura praemissa, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita in acie locabat. Gallos Hispanosque equites prope ripam laevo in cornu adversus Romanum equitatum; dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus firmata: ita ut Afrorum utraque cornua essent, interponerentur his medii Galli atque Hispani. Afros Romanam magna ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis et ad Trebiam, caeterum magna ex parte ad Thrasymenum captis. Gallis Hispanisque scuta ejusdem formae fere erant: dispares ac dissimiles gladii: Gallis praelongi, ac sine mucronibus: Hispano, punctim magis quam caesim assueto petere hostem, brevitate habiles, et cum mucronibus. Ante caeteros armati (is gentium harum habitus tum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat) Galli super umbilicum erant nudi: Hispani linteis praetextis purpura tunicis candore miro fulgentibus constiterant. Numerum omnium, qui tum peditum equitumque in acie stetere, illum ferunt, videlicet quadraginta peditum millia, decem equitum. Duces cornibus praeerant: sinistrum Asdrubal, dextrum regebat Maharbal: mediam aciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit. Sol, seu de industria ita locatis, seu forte ita stando, peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Poenis in Septentrionem versis; ventus, quem *Vulturnum* incolae regionis vocant, adversus Romanis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.

Clamore sublato procursum ab auxiliis: et pugna levibus primum armis commissa: deinde equitum Gallorum Hispanorumque laevum cornu cum dextro Romano concurrit, minime equestris more pugnae, frontibus enim adversis concurrendum erat: quia nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant, in directum utrinque nitentes. Stantibus ac confertis, postremo turba equis,

vir virum amplexus detrahebat equo; pedestre magna jam ex parte certamen factum erat; acrius tamen quam diutius pugnatum est, pulsique Romani equites terga vertunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna; primo, et viribus et animis pares constabant ordines Gallis, Hispanisque; tandem Romani diu ac saepe consilio agitabant, qua fronte acieque densa impellerent hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, a caeteris prominentem acie; impulsis deinde ac trepide referentibus pedem insistere, ac tenore uno per praeceps pavore fugientium agmen in mediam primum aciem illati; postremo nullo resistente, ad subsidia Afrorum pervenerunt: qui utrinque reductis alis constiterant; mediique Galli Hispanique steterunt aliquantum prominente acie: qui cuneus, ut pulsus aequavit frontem primum, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit, Afri circa jam cornua vim fecerant: irruentibusque incaute in medium Romanis circumdedere alas: mox cornua extendendo, clausere et ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquam praelio uno, omissis Gallis Hispanisque, quorum terga ceciderant, etiam adversus Afros integram pugnam ineunt: non tantum eo iniquam, quod inclusi adversus circumfusos, sed etiam quod fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant.

Jam et in sinistro cornu Romano, ubi sociorum equites adversus Numidas steterant, consertum praelium erat, segne primo, et a Punica coeptum fraude. Quingenti ferme Numidae, praeter consueta arma telaque, gladios occultos sub loricis habentes, specie transfugarum cum ab suis, parmas post terga habentes, adequitassent: repente ex equis desiliunt, parmisque et jaculis ante pedes hostium projectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos, considere ab tergo jubentur; ac dum praelium ab omni parte conseritur, quieti manserunt; postquam omnium animos oculosque occupaverat certamen, tum arreptis scutis, quae

passim inter acervos caesorum corporum strata erant, aversam adoriuntur Romanam aciem; tergaque ferientes, ac poplites caedentes, stragem ingentem dederunt, ac majorem aliquanto pavorem ac tumultum fecerunt. Cum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala jam spe praelium esset: Asdrubal, qui ea parte praeerat, subductos ex media acie Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit. Hispanos et Gallos pedites Afris jam prope fessis caede, magis quam pugna, adjungit.

Parte altera pugnae Paulus, quanquam primo statim praelio funda graviter ictus fuerat, tamen et occurrit saepe cum confertis Annibali, et aliquot locis praelium restituit, protegentibus eum equitibus Rom. omissis postremo equis, quia Cos. ad regendum equum vires deficiebant: tum denuntianti cuidam, jussisse Cos: *ad pedes descendere equites:* dixisse Annibalem ferunt: [1] *Quam mallem vinctos mihi traderet.* Equitum pedestre praelium, quale jam haud dubia hostium victoria fuit, cum victi mori in vestigio mallent, quam fugere: victores morantibus victoriam irati, trucidarent quos pellere non poterant: pepulerunt tamen jam paucos superatos, et labore ac vulneribus fessos; inde dissipati omnes sunt, equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus Tribunus militum, cum praetervehens equo sedentem in saxo cruore oppletum Consulem vidisset: "L. Æmili," inquit, "quem unum insontem culpae cladis hodiernae dii respicere debent, cape hunc equum, dum et tibi virium aliquid superest; comes ego te tollere possum ac protegere. Ne funestam hanc pugnam morte Cos. feceris; etiam sine hoc lachrymarum satis luctusque est." Ad ea consul, "Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto: sed

[1] Traderet.] Haec ironice accipienda, quasi diceret Annibal: "Mallem enimvero eos mihi vinctos traderet;" "cur non eos mihi vinctos tradit. Hoc unum superest, quo victoriam meam adjuvare possit."

cave frustra miserando exiguum tempus e manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuncia publice patribus, urbem Romam muniant, ac priusquam hostis victor adveniat, praesidiis firment: privatimque Q. Fabio, L. Æmilium praeceptorum ejus memorem extitisse, et vixisse, et adhuc mori; et tu me in hac strage militum meorum patere expirare, ne ut reus interream, causaque consulatus accusator collegae existam, ut alieno crimine innocentiam protegam." Haec exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere: Cos. ignorantes quis esset, obruerunt telis. Lentulum in tumultum abripuit equus: tum inde effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decem in majora, duo ferme in vicum ipsum Cannas perfugerunt: qui extemplo a Carthalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventi sunt. Cos. alter, seu forte, seu consilio, nulli fugientium infestus agmini, cum quinquaginta fere equitibus Venusiam profugit. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, et [1] tanta prope civium sociorumque pars, caesi dicuntur; in his alter consulum, quaestores L. Attilius et Furius Bibaculus: XXI. Tr. militum, consulares quidam, praetoriique, et aedilitii: inter eos Cn. Servilius, et C. Minutius qui magister equitum priore anno aliquot diebus ante fuerat: LXXX. praeterea senatores, aut qui eos magistratus gessissent, unde in senatum legi deberent, cum sua voluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo praelio tria millia peditum, equites trecenti dicuntur.

Haec est pugna Cannensi clade nobilitata, par Alliensi; utque haec illa iis, quae post pugnam accidere levior, quia ab hoste cessatum est: sic strage exercitus gravior, foediorque fuit fuga; namque ad Alliam fuga sicut urbem prodidit, ita exercitum servavit: ad

[1] Tanta.] Tanta his sumitur pro *aeque magna, aequalis.*

Cannas fugientem Cos. vix quinquaginta secuti sunt: alterius morientis prope totus exercitus fuit. Binis in castris cum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuncium, qui majoribus praeerant, mittunt: dum praelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Cannusium abituros esse. Eam sententiam alii totam aspernari; cur enim illos, qui se accersant, ipsos non venire, cum aeque conjungi possent? quia videlicet plena hostium omnia in medio essent: et aliorum quam sua corpora tanto periculo mallent objicere. Alis non tam sententia displicere, quam animus deesse; P. Sempronius Tuditanus Tr. mil. "Capi ergo mavultis," inquit, "ab avarissimo et crudelissimo hoste: aestimarique capita vestra pretio, et exquiri ab interrogantibus, Romanus civis sis, an Latinus socius? ut ex tua contumelia et miseria alteri honos quaeratur, non tibi? Non vos quidem L. Æmilii, qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit: et tot fortissimorum virorum, qui circa eum cumulati jacent, similes estis. Sed antequam opprimat lux, majoraque hostium agmina obsepiant iter, per hos qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque audacia iter sit, quamvis per confertos hostes, cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ac si nihil obstet, transibimus; itaque ite mecum, qui et vosmetipsos et remp. salvam vultis." Haec ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoque facto per medios vadit hostes: et cum in latus dextrum, quod patebat, Numidae jacularentur, translatis in dextram partem scutis, in majora castra ad sexcentos evaserunt: atque inde protinus, alio magno agmine adjuncto, Cannusium incolumes perveniunt. Haec apud victos magis impetu animorum, quem ingenium suum cuique aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum, aut imperio cujusquam agebantur.

Annibali victori cum caeteri circumfusi gratularentur, suaderentque, ut tanto perfunctus bello, diei quod reliquum esset, noctisque insequentis quietem et ipse sibi sumeret, et fessis daret militibus; Maharbal praefectus equitum minime cessandum ratus: "Imo ut quid hac pugna sit actum, scias, die quinto," inquit, "victor in Capitolio epulaberis; sequere cum equite, ut prius te venisse, quam venturum sciant." "Praecedant," Annibal inquit, "nuncii: laeta res est; sed via major, quam ut eam statim capere animo possim; itaque voluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium prensandum temporis opus esse." Tum Maharbal: "Non omnia nimirum eidem dii dedere. Vincere scis, Annibal, victoria uti nescis." Mora ejus diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio. Postero die ubi primum illuxit, ad spolia legenda, foedamque etiam hostibus, spectandam stragem insistunt. Jacebant tot Romanorum millia, pedites passim equitesque, ut quem cuique fors aut pugna junxerat, aut fuga. Assurgentes quidam ex strage media cruenti, quos stricta matutino frigore excitaverant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quosdam et jacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt, nudantes cervicem jugulumque, et reliquum sanguinem invitantes haurire. Inventi sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foveas, obruentesque ora subjecta super humo injecta, interclusisse spiritum apparebat. Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincumbenti Romano vivus, naso auribusque laceratis: cum manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem expirasset.

Spoliis ad multum diei lectis, Annibal ad minora ducit castra oppugnanda, et omnium primum [1] brachio fluminis objecto, eos excludit. Caeterum ab omnibus, labore, vigiliis, vulneribus etiam fessis, maturior ipsius

[1] Brachio objecto.] Ducta Fossa inter castra flumenque.

spe deditio est facta. Pacti ut arma atque equos traderent, in capita Romana trecenis nummis [1] quadrigatis, in socios ducenis, in servos centenis: et ut eo pretio persoluto, cum singulis abirent vestimentis, in castra hostes acceperunt: traditique in custodiam omnes sunt, sed seorsum cives sociique. Dum ibi tempus teritur, interea cum ex majoribus castris, quibus satis virium aut animi fuit, ad quatuor millia hominum et CC. equites, alii agmine, alii palantes passim per agros, quod haud minus tutum erat, Canusium profugissent; castra ipsa ab sauciis timidisque eadem conditione, qua altera, tradita hosti. Praeda ingens parta est: et praeter equos virosque, et si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat: (nam ad vescendum facto perexiguo, utique militantes, [2] utebantur) omnis caetera praeda diripienda data est. Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum jussit. Ad octo millia fuisse dicuntur fortissimorum virorum. Consulem quoque Romanum conquisitum sepultumque, quidam auctores sunt. Eos qui Canusium perfugerant, mulier Apula, nomine Busa, genere clara ac divitiis, moenibus tantum tectisque a Canusinis acceptos, frumento, veste, viatico etiam juvit, pro qua ei munificentia postea bello perfecto ab senatu honores habiti sunt.

[1] Nummis quadrigatis.] Denariis, qui quadrigae figuram insculptam gerebant.

[2] Ad vescendum.....utetatur.] Parum enim habebant argenti facti, elaborati, quo ad vescendum uterentur.

LIBER XXVII. CAP. 43.

ASDRUBALIS CLADES. U. C. 545.

Inter haec ab Asdrubale, postquam a Placentiae obsidione abscessit, quatuor Galli equites, duo Numidae cum literis ad Annibalem missi, cum per medios hostes totam ferme longitudinem Italiae emensi essent: dum Metapontum cedentem Annibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, a vagis per agros pabulatoribus Romanis ad Q. Claudium propraetorem deducuntur. Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coegit, edocuerunt, literas se ab Asdrubale ad Annibalem ferre. Cum iis literis, sicut erant, signatis, L. Virginio Tribuno militum ducendi ad Claudium consulem traduntur, duae simul turmae Samnitum praesidii causa missae. Qui ubi ad consulem pervenerunt, literaeque lectae per interpretem sunt, et ex captivis percunctatio facta: tum Claudius non id tempus esse reipubl. ratus, quo consiliis ordinariis provinciae suae quisque finibus per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu bellum gereret, audendum ac novandum aliquid improvisum, inopinatum, quod coeptum non minorem apud cives, quam hostes terrorem faceret, perpetratum in magnam laetitiam ex magno metu verteret, literis Asdrubalis Romam ad senatum missis, simul et ipse Patres conscriptos, quid paret, edocet, ut cum in Umbria se occursurum Asdrubal fratri scribat, legionem a Capua Romam accersant, delectum Romae habeant, exercitum urbanum ad Narniam hosti opponant. Haec senatui scripta. Praemissi item per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferentanum, Praetutianum, qua exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent,

equos jumentaque alia producerent, ut vehiculorum fessis copia esset; ipse de toto exercitu civium sociorumque, quod roboris erat, delegit, sex millia peditum, mille equites: pronunciat, occupare se in Lucanis proximam urbem, Punicum in ea praesidium velle, ut ad iter parati omnes essent. Profectus nocte flexit in Picenum. Et consul quidem, quantis maximis poterat itineribus, ad collegam ducebat, relicto Q. Tatio legato, qui castris praesset.

Romae haud minus terroris ac tumultus erat, quam fuerat biennio ante, cum castra Punica objecta Romanis moenibus portisque fuerant; neque satis constabat animis, tam audax iter consulis laudarent vituperarentne; apparebat (quo nihil iniquius est) ex eventu famam habiturum. Castra prope Annibalem hostem relicta sine duce cum exercitu, cui detractum foret omne quod roboris, quod floris fuerit: et consulem in Lucanos ostendisse iter, cum Picenum et Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re tutiora, quam errore hostis, qui ducem inde atque exercitus partem abisse ignoraret. Quid futurum si id palam fiat? et aut insequi Neronem cum sex millibus armatorum profectum Annibal toto exercitu velit? aut castra invadere, praeda relicta, sine viribus, sine imperio, sine auspicio? Veteres ejus belli clades, duo consules proximo anno interfecti, terrebant; et ea omnia accidisse, cum unus imperator, unus exercitus hostium in Italia esset; nunc duo bella Punica facta, duos ingentes exercitus, duos prope Annibales in Italia esse; quippe et Asdrubalem patre eodem Amilcare genitum, aeque impigrum ducem, per tot in Hispania annos Romano exercitum bello, gemina victoria insignem, duobus exercitibus cum clarissimis ducibus deletis; nam itineris quidem celeritate ex Hispania, concitatis ad arma Gallicis gentibus, multo magis quam Annibalem ipsum gloriari posse, quippe in iis locis hunc coegisse exercitum, quibus ille majorem partem mili-

tum fame ac frigore, quae miserrima mortis genera sunt, amisisset. Adjiciebant etiam periti rerum Hispaniae, haud cum ignoto duce C. Nerone congressurum: sed quem in saltu impedito deprehensus forte, haud secus quam puerum, conscribendis fallacibus conditionibus pacis frustratus elusisset. Omnia majora etiam vero praesidia hostium, minora sua, metu interprete, semper in deteriora inclinato, ducebant.

Nero postquam jam tantum intervalli ab hoste fecerat, ut detegi consilium satis tutum esset, paucis milites alloquitur. Negat ullius consilium imperatoris in speciem audacius, re ipsa tutius fuisse, quam suum. Ad certam eos se victoriam ducere; quippe ad quod bellum collega non antequam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datae ab senatu copiae fuissent, majores instructioresque quam si adversus ipsum Annibalem iret, profectus sit: eo ipsos quantumcunque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos. Auditum modo in acie (nam ne ante audiatur, daturum operam) alterum consulem, et alterum exercitum advenisse, haud dubiam victoriam facturum. Famam bellum conficere, et parva momenta in spem metumque impellere animos. Gloriae quidem ex re bene gesta partae fructum prope omnem ipsos laturos. Semper quod postremum adjectum sit, id rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concursu, qua admiratione, quo favore hominum iter suum celebretur. Et Hercule per instructa omnia ordinibus virorum mulierumque undique ex agris effusorum, inter vota ac preces et laudes ibant; illos praesidia reipublicae, vindices urbis Romae imperiique appellabant; in illorum armis dextrisque suam liberorumque suorum salutem ac libertatem repositam esse. Deos omnes deasque precabantur, ut illis faustum iter, felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset; damnarenturque ipsi votorum, quae pro iis suscepissent: ut quemadmodum nunc soliciti prosequerentur eos, ita paucos post dies

laeti ovantibus victoria obviam irent. Invitare inde pro se quisque, et offerre, et fatigare precibus, ut quae ipsis jumentisque usui essent, ab se potissimum sumerent, benigne omnia cumulata dare. Modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent; nihil morari, nec ab signis absistere cibum capientes; diem ac noctem ire; vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare. Et ad collegam praemissi erant, qui nunciarent adventum, percunctarenturque, clam an palam, interdiu an noctu, venire sese vellet, iisdem an aliis considere castris. Nocte clam melius ingredi visum est.

Tessera per castra ab Livio consule data erat, ut tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet; neque enim dilatari castra opus esse, ne hostis adventum alterius consulis sentiret: et coarctatio plurium in angusto tendentium facilior futura erat, quod Claudianus exercitus nihil ferme praeter arma secum in expeditionem tulerat. Caeterum in ipso itinere auctum voluntariis agmen erat, offerentibus sese ultro, et veteribus militibus perfunctis jam militia, et juvenibus, quos certatim nomina dantes, si quorum corporis species, roburque virium aptum militiae videbatur, conscripserat. Ad Senam castra alterius consulis erant, et quingentos inde ferme passus Asdrubal aberat. Itaque cum jam appropinquaret, tectus montibus substitit Nero, ne ante noctem castra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria adducti, cum summa omnium laetitia hospitaliter excipiuntur. Postero die concilium habitum, cui et L. Porcius Licinius praetor affuit. Castra juncta consulum castris habebat; et ante adventum eorum, per loca alta ducendo exercitum, cum modo insideret angustos saltus, ut transitum clauderet, modo ab latere aut ab tergo carperet agmen, ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat; is tum in concilio aderat. Multorum eo incli-

nabant sententiae, ut dum fessum via ac vigiliis reficeret militem Nero, simul et ad noscendum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus pugnandi differretur. Nero non suadere modo, sed summa ope orare institit, ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. [1] Errore, qui non diuturnus futurus esset, velut torpentem Annibalem, nec castra sua sine duce relicta aggredi, nec ad sequendum se iter intendisse: antequam se moveat, delere exercitum Asdrubalis posse, redireque in Apuliam. Qui prolatando spatium hosti det, eum et illa castra prodere Annibali, et aperire in Galliam iter, uti per otium, ubi velit, Asdrubali conjungatur. Extemplo signum dandum, et exeundum in aciem: abutendumque errore hostium absentium praesentiumque: dum neque illi sciant cum pluribus et validioribus rem esse. Concilio dimisso, signum pugnae proponitur, confestimque in aciem procedunt.

Jam hostes ante castra instructi stabant. Moram pugnae attulit, quod Asdrubal profectus ante signa cum paucis equitibus scuta vetera hostium notavit, quae ante non viderat, et strigosiores equos, multitudo quoque major solito visa est. Suspicatus id quod erat, receptui propere cecinit, ac misit ad flumen unde aquabantur: ubi et excipi aliqui possent, et notari oculis, si qui forte adustioris coloris, ut ex recenti via, essent; simul circumvehi procul castra jubet, specularique, num auctum aliqua parte sit vallum: et attendant semel bisne signum canat in castris. Ea cum ordine omnia relata essent, castra nihil aucta errorem faciebant. Bina erant, sicut ante adventum consulis alterius fuerant, una M. Livii, altera L. Porcii, neutris quicquam, quo latius tenderetur, ad munimenta adjectum. Illud veterem ducem assuetumque Romano hosti movit, quod semel in praetoriis castris signum, bis in

[1] Errore.] Sane mirum est, hoc errore Annibalem eo usque delusum, donec Nero, victo Asdrubale, redierit.

consularibus referebant cecinisse, "duos profecto consules esse:" et quonam modo alter ab Annibale abscessisset, cura angebat: minime id quod erat suspicari poterat, tantae rei frustratione Annibalem elusum: ut ubi dux, ubi exercitus esset, cum quo castra collata haberet, ignoraret; profecto haud mediocri clade absterritum insequi non ausum: magnopere vereri, ne perditis rebus serum ipse auxilium venisset: Romanisque eadem jam fortuna in Italia, quae in Hispania esset. Interdum literas suas ad eum non pervenisse, credere: interceptisque iis consulem ad sese opprimendum accelerasse. His anxius curis, extinctis ignibus, vigilia prima dato signo, ut taciti vasa colligerent, signa ferri jussit. In trepidatione et nocturno tumultu duces parum intente asservati, alter in destinatis jam inde ante animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranavit. Ita desertum a ducibus agmen primo per agros palatur: fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Asdrubal dum lux viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri jubet, et per tortuosi amnis sinus flexusque cum errore obiens, haud multum processisset: ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus: sed cum quantum a mari abscedebat, tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inveniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti.

Nero primum cum omni equitatu advenit. Porcius deinde assecutus cum levi armatura. Qui cum fessum agmen carperent ab omni parte, incursarentque, et jam omisso itinere, quod fugae simile erat, castra metari Poenus in tumulo super fluminis ripam vellet: advenit Livius peditum omnibus copiis, non itineri modo, sed ad conserendum extemplo praelium instructis armatisque. Sed ubi omnes copias conjunxerunt, directaque acies est, Claudius dextro in cornu, Livius ab sinistro pugnam instruit, media acies praetori tu-

enda datur. Asdrubal, omissa munitione castrorum, postquam pugnandum vidit, in prima acie ante signa elephantos locat; circa eos laevo in cornu adversus Claudium Gallos opponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat; ipse dextrum cornu adversus M. Livium sibi atque Hispanis (et ibi maxime in vetere milite spem habebat) sumpsit: Ligures in medio post elephantos positi: sed longior quam latior acies erat. Gallos prominens collis tegebat. Ea frons, quam Hispani tenebant, cum sinistro Romanorum cornu concurrit; dextra omnis acies extra praelium eminens cessabat; collis oppositus arcebat, ne aut a fronte aut ab latere aggrederentur. Inter Livium Asdrubalemque ingens contractum certamen erat, atroxque caedes utrinque edebatur; ibi duces ambo, ibi pars major peditum equitumque Romanorum, ibi Hispani, vetus miles, peritusque Romanae pugnae, et Ligures, durum in armis genus; eodem versi elephanti, qui primo impetu turbaverant antesignanos, et jam signa moverant loco: deinde crescente certamine et clamore, impotentius jam regi, et inter duas acies versari, velut incerti quorum essent, haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis. Claudius, "Quid ergo praecipiti cursu tam longum iter emensi sumus?" clamitans militibus, cum in adversum collem frustra signa exigere conatus esset: postquam ea regione penetrari ad hostem non videbat posse, cohortes aliquot subductas e dextro cornu, ubi stationem magis segnem quam pugnam futuram cernebat, post aciem circumducit: et non hostibus modo, sed etiam suis inopinantibus, in sinistrum hostium latus incurrit; tantaque celeritas fuit, ut cum ostendissent se in latere, mox in terga jam pugnarent. Ita ut omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo trucidarentur Hispani Liguresque. Et ad Gallos jam caedes pervenerat. Ibi minimum certaminis fuit; nam et pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi, stratique somno passim per

agros: et, qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora vix arma humeris gestabant. Et jam diei medium erat, sitisque et calor hiantes caedendos capiendosque afflatim praebebat.

Elephanti plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste, interfecti; fabrile scalprum cum malleo habebant: id, ubi saevire belluae ac ruere in suos coeperant, magister inter aures positum, ipsa in compage, qua jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat ictu adigebat. Ea celerrima via mortis in tantae molis bellua inventa erat, ubi regendi spem vicissent: primusque id Asdrubal instituerat, dux cum saepe alias memorabilis, tum illa praecipue pugna; ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, sustinuit: ille fessos, abnuentesque taedio et labore, nunc precando, nunc castigando accendit: ille fugientes revocavit, omissamque pugnam aliquot locis restituit. Postremo cum haud dubia fortuna hostium esset, ne superesset tanto exercitui suum nomen secuto, concitato equo se in cohortem Romanam immisit; ibi, ut patre Amilcare, et Annibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Nunquam eo bello una acie tantum hostium interfectum est, redditaque aequa Cannensi clades vel ducis vel exercitus interitu, videbatur. Quinquaginta sex millia hostium occisa: capta quinque millia et quadringenti, praeda alia tum omnis generis, tum auri etiam, argentique. Civium etiam Romanorum, qui capti apud hostes erant, supra quatuor millia capitum recepta: id solatii fuit pro amissis eo praelio militibus. Nam haudquaquam incruenta victoria fuit; octo ferme millia Romanorum sociorumque occisa. Adeoque etiam victores sanguinis caedisque ceperat satietas, ut postero die, cum esset nunciatum Livio consuli, Gallos Cisalpinos, Ligures-que, qui aut praelio non affuissent, aut inter caedem effugissent, uno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine ullo aut imperio, posse; si [1] una

[1] Ala.] Ala equitum Romanorum decem turmas habebat; turma, triginta fere homines.

equitum ala mittatur, omnes deleri: "Supersint," inquit, "aliqui nuncii et hostium cladis et nostrae virtutis."

Nero, ea nocte quae secuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine, die sexto ad stativa sua, atque ad hostem pervenit. Iter ejus frequentia minore (nemo enim praecesserat nuncius) laetitia vero tanta, vix ut compotes mentium prae gaudio essent, celebratum est. Nam Romae neuter animi habitus satis dici narrarique potest: nec quo incerta expectatione eventus civitas fuerit, nec quo victoriae famam acceperit. Nunquam per omnes dies, ex quo Claudium profectum fama attulit, ab orto sole ad occidentem, aut senator quisquam a curia atque ab magistratibus abscessit, aut populus e foro. Matronae, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versae, per omnia delubra vagae suppliciis votisque fatigavere deos. Tam solicitae ac suspensae civitati fama incerta primo accidit, duos Narnienses equites in castra, quae in faucibus Umbriae opposita erant, venisse ex praelio nunciantes caesos hostes: et primo magis auribus quam animis id acceptum erat, ut majus laetiusque, quam quod mente capere, aut satis credere possent; et ipsa celeritas fidem impediebat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Literae deinde ab L. Manlio Acidino missae ex castris afferuntur de Narniensium equitum adventu. Eae literae per forum ad tribunal Praetoris latae, senatum curia exciverunt, tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiae concursum est, ut adire nuncius non posset, trahereturque a percunctantibus, vociferantibusque, ut in rostris priusquam in senatu literae recitarentur; tandem summoti et coerciti a magistratibus: vixque servari laetitia intra impotentes ejus animos potuit. In senatu primum, deinde in concione, literae recitatae sunt: et pro cujusque ingenio, aliis jam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos, consulumve literas audivissent.

Ipsos deinde appropinquare legatos allatum est. Tum enimvero omnis aetas currere obviam, primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes. Ad Milvium usque pontem continens agmen pervenit. Legati erant L. Veturius Philo, F. Licinius Varus, Q. Caecilius Metellus. Circumfusi omnis generis hominum frequentia, in forum pervenerunt, cum alii ipsos, alii comites eorum, quae acta sint, percunctarentur: et ut quisque audierat exercitum hostium imperatoremque occisum, legiones Romanas incolumes, salvos consules esse, extemplo aliis porro impertiebant gaudium suum. Cum aegre in curiam perventum esset, multo aegrius summota turba ne patribus misceretur, literae in senatu recitatae sunt; inde [1] producti in concionem legati. L. Veturius literis recitatis, ipse planius omnia, quae acta erant, exposuit cum ingenti assensu: postremo etiam clamore universae concionis, cum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa deum, ut grates agerent: ab aliis domos, ut conjugibus liberisque tam laetum nuncium impertirent. Senatus, quod M. Livius et C. Claudius consules, incolumi exercitu, ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit. Eam supplicationem C. Hostilius praetor pro concione edixit: celebrataque a viris foeminisque est. Omnia templa per totum triduum aequalem turbam habuere, cum matronae amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutae metu, deis immortalibus grates agerent. [2] Statum quoque civitatis ea victoria movit, ut jam inde haud secus, quam in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo, auderent. C. Claudius consul, cum in castra

1 Producti.] Verbum hic proprium. *Introducebantur* in Senatum a magistratibus legati; *producebantur* ad populum sive in concionem.

2 Statum quoque civitatis.] Hoc eodem anno nummus aureus primum Romae percussus est, ut colligitur ex Plinio.

redisset, caput Asdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, projici ante hostium stationes, captivosque Afros vinctos, ut erant, ostendi: duos etiam ex iis solutos ire ad Annibalem, et expromere quae acta essent, jussit. Annibal tanto simul publico familiarique ictus luctu, *agnoscere se fortunam Carthaginis*, fertur dixisse: castrisque inde motis ut omnia auxilia, quae diffusa latius tueri non potuerat, in extremum Italiae angulum Brutios contraheret: et Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, et Lucanorum qui suae ditionis erant, in Brutium agrum traduxit.

C. C. TACITUS.

C. Cornelius Tacitus, Eques Romanus, gener Cn. Julii Agricolae, sub Vespasianis procurator Galliae Belgicae, etiam sub Domitiano ac Nerva (sub quo Consul an. U. C. 850. Christi 97 suffectus T. Virginio Rufo) et sub Trajano, varios honores gessit; scriptis vero suis, prudenti et arguta brevitate disertis, immortalem sibi laudem et gloriam comparavit.

Scriptorum ejus ordo secundum temporum rationes est hic. 1. *Vita Agricolae*, vivente adhuc Nerva: 2. Liber *de Moribus Germanorum*, secundo Trajani consulatu: 3. *Historiae*, sub Trajano, jam Divo Nerva I, 1. 6. et Ann. xi. ii. 2 *Historias* citat. Scripsit ergo prius sui temporis historiam, deinde: 4. *Annales* addidit; additurus etiam Augusti principatum. Sed Librarii ordinem fecere ex rerum gestarum ordine et librorum dignitate, qui et in omnibus libris obtinet. Scribendae historiae munus detulerat amico suo Plinio: qui cum non recepisset, ipse suscepit.

Annalium quidem, quo opere Res Romanas ab excessu Augusti ad mortem Neronis usque persecutus fuerat Tacitus, extant libri sex primi, quorum quintus mutilus est; sextus, qui integer ad nos pervenit, in Tiberii excessu desinit. Deinde post quatuor libro-

rum lacunam, liber undecimus ακεφαλος ad librum decimum sextum, sed extrema parte mutilum, a C. Valerii Asiatici sub Claudio Imp. per inimicorum fraudes ad voluntariam mortem adacti exitio, ad interitum Thraseae et Paeti, quem Nero mori jusserat.

Ab his Annalium libris diverso scribendi genere exarati fuere a Tacito *libri Historiarum*, quorum quinque primores similiter supersunt, (nisi quod quintus extremo mutilus est) et complectuntur res a consulatu Galbae et T. Vinnii usque ad pacem initam inter Cerealem Romanum et Civilem Batavum, qui, audita Vitellii morte, turbas excitaverant.

Liber *de Oratoribus*, quod a nonnullis Tacito male tributus est, edi solet et illustrari in editionibus Taciti; de eo dictum in capite de Quinctiliano; sect. viii. p. 325.

Fabricii Bib. Latina, Ernesti, 386.

Civis optimus, literis et sapientia aetatis suae princeps; eamdem famam, parem auctoritatem apud posteros tam diu retenturus, quam diu in scriptis non otiosa verborum prolixitas, sed valida rerum sententiarumque brevitas placebit; quam diu in re politica mores hominum, rerum momenta, libertatis et dominationis temperamenta, varia et saluberrima pro temporum eventumque varietate agendi consilia, noscere erit pretium.

Broterii Praefat. ad Tac. p. x.

C. C. TACITUS.

ANN: LIB. I. CAP. 16...49.

LEGIONUM PANNONICARUM ET GERMANICARUM SEDITIO.

ANNO U. C. 767. J. C. 14.

PANNONICAS legiones seditio incessit: nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, et ex civili bello spem praemiorum, ostendebat. Castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Junio Blaeso: qui fine Augusti, et initiis Tiberii auditis, ob [1] justitium aut gaudium, intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim [2] theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, et miscere coetus histrionali studio doctus. Is imperitos animos, et quaenam post Augustum militiae conditio ambigentes, impellere paullatim nocturnis conloquiis, aut flexo in vesperam die, et dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo promptis jam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat:

"Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos

1 Justitium aut gaudium.] Justitium propter mortem Augusti, gaudium propter Tiberii principatum. In luctu publico, nuntiatis cladibus, gravissimisque reip. periculis, indicebatur justitium, seu cessabant judicia.

2 Theatralium operarum.] Dux quidem, non actor: infames enim apud Romanos theatrales operae. Nec qui eas egisset, stipendia mereri poterat; et si jam miles id fecisset, capite puniebatur.

ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent: ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eosdem labores perferre: ac si quis tot casus vita superaverit; trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum, uligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari: hinc vestem, arma, tentoria; hinc saevitiam centurionum, et vacationes munerum redimi. At hercule verbera, et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiterna: nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur; ut singulos denarios mererent; sextus decimus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acciperent, quae post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici."

Adstrepebat vulgus diversis incitamentis; hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint: depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant: simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blaesus advenit, increpabatque, ac retinebat singulos, clamitans, "Mea potius caede imbuite manus; leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis. Aut incolumis fidem legionum retinebo, aut jugulatus poenitentiam adcelerabo."

Aggerebatur nihilominus cespes, jamque pectori usque adcreverat, quum tandem pervicacia victi incoeptum omisere. Blaesus multa dicendi arte, "Non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda, ait: neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse: et [1] parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae, vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent." Adclamavere, "ut filius Blaesi, tribunus, legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sexdecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent." Profecto juvene, modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati, orator publicae causae, satis ostenderet, necessitate expressa, quae per modestiam non obtinuissent.

Interea manipuli, ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera, et pontes, et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt: direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentes centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur: praecipua in Aufidienum Rufum, praefectum castrorum, ira, quem dereptum vehiculo, sarcinis gravant, aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, "an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?" Quippe Rufus diu [2] manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat.

Horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumjecta populabantur. Blaesus paucos, maxime

[1] Parum in tempore.] Intempestive novi principis curas onerari.
[2] Manipularis.] Gregarius Miles.

praeda onustos, ad terrorem ceterorum, adfici verberibus, claudi carcere jubet; nam etiam tum legato a centurionibus, et optimo quoque manipularium, parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cujus manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes: simul probra in legatum cumulant: coelum ac deos obtestantur: nihil reliqui faciunt, quominus invidiam, misericordiam, metum, et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et carcere effracto, solvunt vincula: desertoresque ac rerum capitalium damnatos, sibi jam miscent.

Flagrantior inde vis, plures seditioni duces: et Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos, et quid pararet intentos: "Vos quidem, inquit, his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturae invident: quum osculis, quum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant."

Incendebat haec fletu, et pectus atque os manibus verberans: mox disjectis quorum per humeros sustinebatur, praeceps, et singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum, gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur. Ac ni propere, neque corpus ullum reperiri, et servos, adhibitis cruciatibus, abnuere caedem, neque illi fuisse unquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant.

Tribunos tamen, ac praefectum castrorum extrusere. Sarcinae fugientium direptae, et centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, *Cedo alteram*, indiderant; quia, fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Julio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promptum ingenium. Quin ipsae inter se legiones octava et quintadecuma ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, [1] quintadecumani tuentur: ni miles nonanus preces, et adversum aspernantes, minas interjecisset.

Haec audita, quamquam abstrusum, et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis, duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis: ex re consulturum. Et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. Additur magna pars praetoriani equitis, et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant: simul praetorii praefectus Ælius Sejanus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector juveni, et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi, et vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores.

Postquam vallum introiit; portas stationibus firmant; globos armatorum certis castrorum locis opperiri jubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. Illi, quotiens oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere; rursum, viso Caesare, trepidare: murmur incertum: atrox clamor, et repente quies: diversis animorum motibus, pavebant terre-

[1] Quintadecumani.] Miles quintacdecimae legionis. Nonanus] Nona legio.

bantque. Tandem, interrupto tumultu, litteras patris recitat; in quis perscriptum erat, "praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset: ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum; misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quae statim tribui possent: cetera senatui servanda, quem neque gratiae, neque severitatis expertem haberi par esset."

Responsum est a concione, "mandata Clementi centurioni, quae proferret." Is orditur de missione a "sexdecim annis: de praemiis finitae militiae: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur." Ad ea Drusus, quum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. "Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera, et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse: numquamne ad se nisi filios familiarum venturos? novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum rejiciat; eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut proelia indicantur; an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse?"

Postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae, et initium armorum: maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios aetate et gloria belli, firmare Drusum credebatur, et illa militiae flagitia primus aspernari. Nec multo post, digredientem cum Caesare, ac provisu periculi hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes, "quo pergeret? ad imperatorem, an ad patres? ut illic quoque commodis legionum adversaretur?" simul ingruunt, saxa jaciunt: jamque lapidis ictu cruentus, et exitii certus, adcursu multitudinis, quae cum Druso advenerat, protectus est.

Noctem minacem, et in scelus erupturam, fors lenivit: nam luna claro repente coelo visa languescere. Id miles, rationis ignarus, omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, "prosperque cessura quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur." Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere: prout splendidior, obscuriorve, laetari, aut moerere: et postquam ortae nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris; ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, "sibi aeternum laborem portendi, sua facinora adversari deos" lamentantur. Utendum inclinatione ea Caesar, et quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria jubet. Accitur centurio Clemens, et si qui alii bonis artibus grati in vulgus: ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. "Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? Denique pro Neronibus et Drusis, imperium populi Romani capessent? quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad poenitentiam sumus? Tarda sunt quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias." Commotis per haec mentibus, et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paullatim amor obsequii: omittunt portas; signa, unum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt.

Drusus, orto die, et vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat praesentia. Negat "se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet." Orantibus, rursum idem Blaesus et L. Apronius eques Romanus e cohorte Drusi, Justusque Catonius primi

ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, quum alii "opperiendos legatos, atque interim comitate permulcendum militem" censerent; alii "fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat, adjiciendos ex duce metus, sublatis seditionis auctoribus." Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici jubet. Tradunt plerique, intra tabernaculum ducis obrutos; alii, corpora extra vallum abjecta ostentui.

Tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti: et pars extra castra palantes, a centurionibus, aut praetoriarum cohortium militibus caesi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas praematura hiems, imbribus continuis, adeoque saevis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur; durabat et formido coelestis irae, "nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum, quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo, suis quisque hibernis redderentur." Primum octava, dein quintadecuma legio, rediere. Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat: mox desolatus aliorum discessione, imminentem necessitatem sponte praevenit: et Drusus, non exspectato legatorum regressu, quia praesentia satis consederant, in Urbem rediit.

Iisdem ferme diebus, iisdem causis Germanicae legiones turbatae, quanto plures, tanto violentius: et magna spe, fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturus. Duo apud [1] ripam Rheni exercitus erant:

1 Apud Rheni.] Augustus orientalem Galliae Belgicae partem, Rheno contiguam, in duas partes divisit, quas Germaniam superiorem et Germaniam inferiorem appellavit. Germania superior a finibus qui Alsatiam in-

cui nomen [1] superiori, sub C. Silio legato; inferiorem A. Caecina curabat. Regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua, fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam iisdem aestivis, in finibus Ubiorum, habebantur, per otium, aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos. "Venisse tempus, quo veterani maturam missionem, juvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, saevitiamque centurionum ulciscerentur." Non unus haec, ut Pannonicas inter legiones, Percennius, nec, apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque; "sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rempublicam, in suum cognomentum adscisci imperatores."

Nec legatus obviam ibat; quippe plurium vecordia constantiam exemerat. Repente lymphati, destrictis gladiis, in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies, et saeviendi principium: prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent. Tum convulsos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius, quum perfugisset ad tribunal, pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea, mox caede [2] C. Caesaris me-

feriorem a superiore separant, ad Mosellam ferme protendebatur: Germania inferior a Mosella ad oceanum Britannicum. Quae diligentissime observanda sunt, si quis in Taciti annalibus et historia coecutire noluerit.

[1] Superiori.] Superior exercitus, qui erat in Germania superiore; inferior, qui in inferiore.

[2] C. Caesaris.] Dicti Caligulae.

moriam apud posteros adeptum, tum adolescens, et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum praefectus jus obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius conjectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent; tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes.

Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti, *excessisse Augustum* adfertur. Neptem ejus Agrippinam in matrimonio, pluresque ex ea liberos habebat. Ipse Druso, fratre Tiberii, genitus, Augustae nepos: sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae: quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus: unde in Germanicum favor, et spes eadem. Nam juveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis: atque ipsa Agrippina paullo commotior, nisi quod castitate, et mariti amore, quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

Sed Germanicus, quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos, et Belgarum civitates in verba ejus adigit. Dehinc, audito legionum tumultu, raptim profectus, obvias extra castra habuit, dejectis in terram oculis, velut poenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere: et quidam, prensa manu ejus per speciem osculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, "discedere in manipulos" jubet, "sic melius audituros responsum: vexilla praeferri, ut id saltem discer-

neret cohortes: tarde obtemperavere. Tunc "a veneratione Augusti" orsus, flexit "ad victorias triumphosque Tiberii," praecipuis laudibus celebrans, "quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors."

Silentio haec, vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, "ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinae decus? quonam tribunos? quo centuriones exegissent?" rogitans; nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas" exprobrant; mox [1] indiscretis vocibus, [2] pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum:" ac propriis nominibus incusant "vallum, fossas; pabuli, materiae, lignorum adgestus;" et si qua alia ex necessitate, aut adversus otium castrorum quaeruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur; qui tricena, aut supra, stipendia numerantes, "mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae, neque inopem requiem," orabant. Fuere etiam, qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: et, si vellet imperium, promptos ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit: opposuerunt abeunti arma, minitantes ni regrederetur. At ille "moriturum potius, quam fidem exueret," clamitans, ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars concionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, "feriret," hortabantur; et miles, nomine Calusidius, strictum obtulit gladium, addito, *acutiorem esse.* Saevum id, malique moris, etiam furentibus visum; ac spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.

[1] Indiscretis vocibus.] Confusis vocibus.

[2] Pretia vacationum.] Pretia a centurionibus exigi solita, ut vacationes munerum concederent.

Consultatum ibi de remedio: etenim nuntiabatur [1] "parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent: destinatum excidio Ubiorum oppidum: imbutasque praeda manus, in direptionem Galliarum erupturas." Augebat metum gnarus Romanae seditionis, et, si omitteretur ripa, invasurus hostis. Ac si auxilia et socii adversum abscedentes legiones armarentur, civile bellum suscipi: periculosa severitas; flagitiosa largitio: seu nihil militi, seu omnia concederentur, in ancipiti respublica. Igitur, volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur: "missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis: legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique."

Sensit miles in tempus conficta, statimque flagitavit: missio per tribunos maturatur: largitio differebatur in hiberna cujusque. Non abscessere quintani unetvicesimanique, donec iisdem in aestivis, contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia, persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, quum fisci de imperatore rapti, inter signa, interque aquilas, veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiam decumam et sextam decumam legiones, nihil cunctatas, sacramento adigit. Quartadecumani paullum dubitaverant: pecunia et missio, quamvis non flagitantibus, oblata est.

At in Chaucis coeptavere seditionem, praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et praesenti duorum militum supplicio paullum repressi sunt. Jusserat id Mennius castrorum praefectus, bono magis exemplo, quam concesso jure. Deinde, intumescente motu, profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: "non praefectum ab iis,

[1] Parari legatos.] Parari a seditiosis legatos.

sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari." Simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit; et, "si quis agmine decessisset, pro desertore fore" clamitans, reduxit in hiberna turbidos, et nihil ausos.

Interea legati ab senatu, regressum jam apud Aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, qui irrita facerent, quae per seditionem expresserant: utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum consulatu functum, principem legationis, auctorem senatusconsulti incusant: et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt: concursuque ad januam facto, moliuntur fores: [1] extractum cubili Caesarem, tradere vexillum, intento mortis metu, subigunt: mox vagi per vias, obvios habuere legatos, audita consternatione, ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias; caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat: neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primae legionis; illic signa et aquilam amplexus, religione sese tutabatur: ac, ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo [2] altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux, et miles, et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, recipitque in tribunal. Tum "fatalem" increpans "rabiem, neque militum, sed deum ira resurgere," cur venerint legati aperit: "jus legationis, atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio," facunde miseratur; attonitaque magis, quam quieta

[1] Extractum cubili.] Non vi, sed concursu et clamoribus militum.

[2] Altaria Deum.] Signa erant legionum numina. Iis etiam affixae deorum et principum imagines. Inde Altaria.

concione, legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit.

Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, et contra rebelles auxilium. "Satis superque missione, et pecunia, et mollibus consultis peccatum: vel, si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam conjugem, inter furentes, et omnis humani juris violatores haberet? illos saltem avo et reipublicae redderet." Diu cunctatus, aspernantem uxorem, quum "se divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula" testaretur, postremo uterum ejus, et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor parvulum sinu filium gerens; lamentantes circum amicorum conjuges, quae simul trahebantur; nec minus tristes, qui manebant.

Non florentis Caesaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus, etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis: "quis ille flebilis sonus? quod tam triste? foeminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treveros, et externae fidei." Pudor inde et miseratio, et patris Agrippae, Augusti avi memoria, socer Drusus; ipsa insigni foecunditate, praeclara pudicitia: jam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo [1] *Caligulam* appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil aeque flexit, quam invidia in Treveros: orant, obsistunt, "rediret, maneret:" pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi: isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita coepit.

1 Caligulam.] Ita dictum a *Caliga* seu calceo militari, cujus figura in columna Trajani, aliisque monumentis veteribus passim occurrit.

"Non mihi uxor, aut filius, patre et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent: conjugem, et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo: ut, quicquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? *milites* ne appellem? qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis. An *cives?* quibus tam projecta senatus auctoritas: hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat: primane, et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina: meque precariam animam inter infensos trahere?"

"Cur enim primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! melius et amantius ille, qui gladium offerebat: cecidissem certe, nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, coelo re-

cepta mens; tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite a contactu, ac dividite turbidos; id stabile ad poenitentiam, id fidei vinculum erit."

Supplices ad haec, et vera exprobrari fatentes, orabant, "puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem; revocaretur conjunx, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur." Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum, et hiemem: "venturum filium: cetera ipsi exsequerentur." Discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae, C. Cetronium, qui judicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si *nocentem* adclamaverant, praeceps datus trucidabatur; et gaudebat caedibus miles, tanquam semet absolveret: nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius jussu, penes eosdem saevitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani, haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae, ob imminentes Suevos: ceterum ut avellerentur castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit; citatus ab imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat: si tribuni, si legio, industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordinem: ubi avaritiam, aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia.

Sic compositis praesentibus, haud minor moles supererat, ob ferociam quintae et unetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem, (loco *Vetera* nomen

est) hibernantium: nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum: nec poena commilitonum exterriti, nec poenitentia conversi, iras retinebant. Igitur Caesar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

At Romae nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, "quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum, et opponere majestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia, eundemque severitatis et munificentiae summum, vidissent. An Augustum fessa aetate, totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis, sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint."

Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: "validior per Germaniam exercitus; propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri, majestate salva, cui major e longinquo reverentia: simul adolescentibus excusatum, quaedam ad patrem rejicere: resistentesque Germanico, aut Druso, posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent?" Ceterum ut jam jamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem, aut negotia varie causatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

At Germanicus, quamquam contracto exercitu, et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, praemittit litteras ad Caecinam, "venire se valida manu, ac ni supplicium in malos praesumant, usurum promiscua caede." Eas Caecina aquiliferis signiferisque, et, quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat; "utque cunctos infamiae, seipsos morti eximant" hortatur: "nam in pace causas et merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere." Illi, tentatis quos idoneos rebantur, postquam majorem legionum partem in officio vident; de sententia legati statuunt tempus, quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. Tunc, signo inter se dato, inrumpunt contubernia, trucidant ignaros: nullo, nisi consciis, noscente quod caedis initium, quis finis.

Diversa omnium, quae umquam accidere, civilium armorum facies: non proelio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela: clamor, vulnera, sanguis palam; causa in occulto: cetera fors regit: et quidam bonorum caesi, postquam, intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. Neque legatus, aut tribunus moderator adfuit; permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, "non medicinam illud" plurimis cum lacrimis, "sed cladem" adpellans, "cremari corpora" jubet. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris: nec aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Caesar, junctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

LIB. II. CAP. 69...75. 82, 83. LIB. III. CAP. 1...4.

A. U. C. 772. J. C. 19.

MORS GERMANICI.

At [1] Germanicus Ægypto remeans, cuncta quae apud legiones aut urbes jusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit: hinc graves in [2] Pisonem contumeliae, nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem tentabantur. Dein Piso abire Syria statuit; mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochiensium plebem, per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat: saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina, et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, [3] queis creditur animas numinibus in-

[1] Germanicus.] Qui revocatus a Germania, et exercitui orientali praepositus, in Armeniam et inde in Ægyptum erat profectus.

[2] Pisonem.] Vide c. 43. "Tiberius praefecerat Syriae Cn: Pisonem, ingenio violentum, et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem juvit: mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus, uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur: vix Tiberio concedere; liberos ejus ut multum infra se despectare: nec dubium habebat, se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici coercendas: credidere quidam, data et a Tiberio occulta mandata, et Plancinam haud dubie Augusta monuit, muliebri aemulatione Agrippinam insectandi: divisa namque et discors aula erat, tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico, alienatio patrui amorem apud caeteros auxerat; et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens: contra Druso proavus, eques Romanus, Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imaginibus videbatur, et conjunx Germanici Agrippina, fecunditate et fama Liviam uxorem Drusi praecellebat; sed fratres egregie concordes, et proximorum certaminibus inconcussi."

[3] Quibus creditur.] Tiberianum saeculum fuit rerum magicarum studiosissimum.

fernis sacrari: simul missi a Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes.

Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta; "si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae conjugi, quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat: sed non usque eo defectum Germanicum, neque praemia caedis apud interfectorem mansura:" componit epistolas, "quis amicitiam ei renuntiabat." Addunt plerique jussum "provincia decedere:" nec Piso moratus ultra, naves solvit; moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: "Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra juventam praematuro exitu raperent: nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrymabunt, quondam florentem, et tot bellorum superstitem, [1] muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi: flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent ho-

[1] Muliebri fraude.] Fraude Liviae Augustae, cujus artes increpat.

mines, aut non ignoscent." Juravere amici, dextram morientis contingentes, "spiritum ante, quam ultionem amissuros."

Tum ad uxorem versus, "per memoriam sui, per communes liberos" oravit, "exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum; neu regressa in Urbem aemulatione potentiae validiores inritaret." Haec palam, et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciae et circumjacentium populorum. Indoluere exterae nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu juxta venerabilis, quum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.

Funus sine [1] imaginibus et pompa, per laudes, ac memoriam virtutum ejus celebre fuit. Et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent. "Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus proeliatorem; etiamsi temeritas abfuerit, praepeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si jure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset." Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochiensium, qui locus sepulturae destinabatur. Praetuleritne veneficii signa, parum constitit: nam ut quis misericordia in Germanicum, et praesumpta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

[1] Sine Imaginibus.] Quia externas inter gentes mortuus. Imagines Romae asservabantur.

Consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant, "quisnam Syriae praeficeretur:" et ceteris modice nisis, inter Vibium Marsum, et Cn. Sentium diu quaesitum: dein Marsus seniori, et acrius tendenti Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in provincia, et Plancinae percaram, nomine Martinam, in Urbem misit, postulantibus Vitellio ac Veranio, ceterisque, qui crimina et accusationem tamquam adversus receptos jam reos instruebant.

At Agrippina, quamquam defessa luctu, et corpore aegro, omnium tamen, quae ultionem morarentur, intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici, et liberis; miserantibus cunctis, "quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio, inter venerantes gratantesque aspici solita, tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui, et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia." Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur, "excessisse Germanicum." Quo intemperanter accepto, caedit victimas, adit templa; neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sorcris tum primum laeto cultu mutavit.

At Romae, postquam Germanici valetudo percrebuit, cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur, dolor, ira. Et erumpebant questus: "Ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam provinciam: hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones: vera prorsus [1] de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia: neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum aequo jure complecti, reddita libertate, agitaverint." Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatusconsultum, sumpto justitio, desererentur

[1] De Druso.] De Druso, Germanici patre, cujus magna apud P. R. memoria; credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. Unde in Germanicum favor et spes eadem. An: I. 33.

fora, clauderentur domus: passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem: et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis moerebant. Forte negotiatores, vivente adhuc Germanico, Syria egressi, laetiora de valetudine ejus attulere: statim credita, statim vulgata sunt: ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures, cumulata gaudio, transferunt: cursant per urbem, moliuntur templorum fores: juvit credulitatem nox, et promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. Et populus, quasi rursum ereptum, acrius doluit.

Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique, "ut nomen ejus Saliari carmine caneretur: sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur: ludos Circenses eburna effigies praeiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Juliae, crearetur." Arcus additi Romae, et apud ripam Rheni, et in monte Syriae Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac "mortem ob rempublicam obiisse:" sepulchrum Antiochiae ubi crematus: [1] tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Quum censeretur clipeus, [2] auro et magnitudine insignis, inter auctores eloquentiae; adseveravit Tiberius, "solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni; et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur." Equester ordo "cuneum Germanici" appellavit, qui "Juniorum" dicebatur; instituitque uti turmae Idibus Juliis imaginem ejus sequerentur: pleraque manent: quaedam statim omissa sunt, aut vetustas obliteravit.

[1] Tribunal.] Id est, altum Tumulum.

[2] Cum censeretur clipeus.] Cum decerneretur imaginem Germanici inter eloquentiae auctores esse collocandam. Imagines illae appellabantur *Clypei*.

LIB. III.

Nihil intermissa navigatione hiberni maris, Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, et nescia tolerandi. Interim adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in Principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium; quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba, et rogitantium inter se, "silentione, an voce aliqua egredientem exciperent?" neque satis constabat quid pro tempore foret: quum classis paullatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi, [1] defixit oculos; idem omnium gemitus; neque discerneres, proximos, alienos, virorum feminarumve planctus: nisi quod comitatum Agrippinae longo moerore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant.

Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito, "ut magistratus Calabriae, Apulique et Campani, suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur." Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur: praecedebant [2] incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant: etiam quorum di-

[1] Defixit oculos.] Oculis in feralem urnam terramque defixis, constitit. Non, ubi omnium oculos in se unam defixos convertit; ut quibusdam placet.

[2] Incompta signa.] Signa rebus laetis compta et uncta, tristibus incompta. "Sine coronis, sine unguentis incompta militum signa: versi lictorum Germanici fasces."

versa oppida, tamen obvii, et victimas atque aras Diis Manibus statuentes, lacrymis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est, cum Claudio fratre, liberisque Germanici qui in Urbe fuerant. Consules M. Valerius et C. Aurelius (jam enim magistratum occoeperant) et senatus, ac magna pars populi viam complevere, disjecti, et ut cuique libitum, flentes: aberat quippe adulatio, gnaris omnibus, laetam Tiberio Germanici mortem [1] male dissimulari.

Tiberius atque [2] Augusta publico abstinuere; inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur; an, ne, omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura, reperio ullo insigni officio functam; quum super Agrippinam, et Drusum, et Claudium, ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint: seu valetudine praepediebatur, seu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre visu non toleravit: facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par moeror, et matris exemplo, avia quoque et patruus attineri viderentur.

Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces: illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, "concidisse Rempublicam, nihil spei reliquum" clamitabant; promptius apertiusque, quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam; quum "decus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis

[1] Male dissimulari.] Ab illo senatus et populi luctu aberat adulatio, cum scirent omnes Germanici mortem laetam esse Tiberio, ejus laetitiam male dissimulari.

[2] Augusta.] Livia, Tiberii mater.

specimen" appellarent, versique ad coelum ac deos, "integram illi subolem, ac superstitem iniquorum" [1] precarentur.

LIB. XV. CAP. 60.

SENECAE ET LUCANI CAEDES. A. U. C. 818. J. C. 65.

SEQUITUR caedes [2] Annaei Senecae, laetissima Principi, non quia [3] conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis, et hactenus prompsit: "missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret, conquereretur que, cur Pisonem aditu arceret? melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent." Et respondisse Senecam: "sermones mutuos, et crebra colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti." Haec ferre Granius Silvanus, tribunus praetoriae cohortis, et, "an dicta Natalis, suaque responsa nosceret," percunctari Senecam jubetur. Is, forte, an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem, suburbano rure, substiterat. Illò, propinqua vespera, tribunus venit, et villam globis militum sepsit. Tum ipsi, cum Pompeia Paullina uxore, et amicis duobus epulanti, mandata Imperatoris edidit.

Seneca, "missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis, quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse,"

1 Precarentur.] Cn. Piso, cum Roma rediisset, veneni et majestatis postulabatur. Dicta causa quum omnia infensa et infesta experiretur, manus sibi adferebat.

2 Annaei Senecae.] Neronis juventae, una cum Afranio Burro, tutoris. Vide Lib. xiii. 2. "Hi rectores imperatoriae juventae, et, rarum in societate potentiae, concordes, diversa arte ex aequo pollebant. Burrus militaribus curis, et severitate morum; Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta: juvantes invicem, quo facilius lubricam Principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent."

3 Conjurationis.] C. Pisonis; quo duce multi ad caedem Neronis conjuravere.

respondit. "Cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse: nec sibi promptum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae, quam servitium, expertus esset." Ubi haec a tribuno relata sunt, Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti Principi intimum consiliorum, interrogat, "an Seneca voluntariam mortem pararet?" Tum tribunus, "nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus, aut vultu, deprehensum" confirmavit. Ergo, "regredi, et indicere mortem," jubetur. Tradit Fabius Rusticus, "non eo, quo venerat, itinere reditum; sed flexisse ad Fenium praefectum, et, expositis Caesaris jussis, an obtemperaret," interrogavisse: monitumque ab eo, "ut exsequeretur;" fatali omnium ignavia: nam et Silvanus inter conjuratos erat, augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat. Voci tamen et aspectui pepercit: intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui "necessitatem ultimam" denuntiaret.

Ille interritus poscit "testamenti tabulas:" ac, denegante centurione, conversus ad amicos, "quando meritis eorum referre gratiam prohibetur, quod unum jam, et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur: cujus si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiae laturos." Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans: "Ubi praecepta sapientiae? Ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud superesse post matrem, fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adjiceret."

Ubi haec atque talia in commune disseruit, complectitur uxorem; et, paullulum adversus praesentem formidinem molitus, rogat oratque, "temperaret dolorem, ne aeternum susciperet: sed, in contemplatione

vitae per virtutem actae, desiderium mariti solatiis honestis toleraret." Illa, contra, sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca, gloriae ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret: "Vitae," inquit, "delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine." Post quae, eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus, et parco victu tenuatum, lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse, visendo ejus tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet "in aliud cubiculum abscedere." Et, novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae, in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo.[1]

At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, "inhiberi mortem" imperat. Hortantibus militibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere, qui crederent, "donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse: deinde, oblata mitiore spe, blandimentis vitae evictam:" cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim,[2] durante tractu, et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat, provisum pridem

[1] Invertere supersedeo.] Quae cum in vulgus Senecae verbis edita sint, hic invertere, et historiae innectere supersedeo. Utinam illa invertisset Tacitus! si non ipsa Senecae verba, saltem ipso digna et magnifica haberemus

[2] Durante tractu.] Stillantis sanguinis.

venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur, promeret: allatumque hausit frustra, frigidus jam artus et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce, "Libare se liquorem illum JOVI LIBERATORI." Exin balneo inlatus, et vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur. Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens, supremis suis consuleret.

Fama fuit, Subrium Flavium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, "ut, post occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecae, quasi, insonti claritudine virtutum, ad summum fastigium delecto." Quin et verba Flavii vulgabantur, "non referre dedecori, si citharoedus demoveretur, et tragoedus succederet:" quia, ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eumdem conscium, et inquisitorem, non tolerabant. Ergo instanti, minitantique renidens Scevinus, "neminem" ait "plura scire quam ipsum." Hortaturque ultro, "redderet tam bono Principi vicem." Non vox adversum ea Fenio, non silentium; sed verba sua praepediens, et pavoris manifestus, ceterisque, ac maxime Cervario Proculo, equite, ad convincendum eum connisis, jussu Imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur, vinciturque.

Mox eorumdem indicio Subrius Flavius, tribunus, pervertitur, primo "dissimilitudinem morum" ad defensionem trahens, "neque se armatum, cum inermibus et effeminatis, tantum facinus consociaturum."

[1] Insonti claritudine virtutum.] Ob insontem virtutum claritudinem ad summum fastigium delecto.

Dein, postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus, interrogatusque a Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset: "Oderam te" inquit; "nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, et auriga, et histrio, et incendiarius exstitisti." Ipsa retuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant: nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. Nihil, in illa conjuratione, gravius auribus Neronis accidisse constitit; qui, ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat. Poena Flavii Vejano Nigro, tribuno, mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi jussit, quam Flavius, ut "humilem et angustam" increpans, circumstantibus militibus, "Ne hoc quidem," inquit, "ex disciplina:" admonitusque fortiter protendere cervicem: "Utinam," ait, "tu tam fortiter ferias." Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem jactavit, "sesquiplaga interfectum a se, dicendo."

Proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper, centurio, praebuit: percunctanti Neroni, "cur in caedem suam conspiravisset?" breviter respondens: "Non aliter tot flagitiis ejus subveniri potuisse." Tum jussam poenam subiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. At non Fenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit. Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex conjuratis consilia cum Vestino non miscuerant, quidam, vetustis in eam simultatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem credebant. Ceterum Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam Principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facetiis inlusus; quae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Ac-

cesserat recens causa, quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi junxerat, haud nescius, inter adulteros ejus et Caesarem esse.

Igitur, non crimine, non accusatore exsistente, quia speciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus, Gerelanum, tribunum, cum cohorte militum immittit: jubetque "praevenire conatus consulis, occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juventutem," quia Vestinus imminentes foro aedes, decoraque servitia, et pari aetate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat: conviviumque celebrabat, nihil metuens, an dissimulando metu; cum ingressi milites, "vocari eum a tribuno," dixere. Ille, nihil demoratus, exsurgit: et omnia simul properantur; clauditur cubiculo; praesto est medicus; abscinduntur venae; vigens adhuc balneo infertur; calida aqua mersatur, nulla edita voce, qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant: nec, nisi provecta nocte, omissi sunt; postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium, et imaginatus, et inridens Nero, "satis supplicii luisse," ait "pro epulis consularibus."

Exin M. Annaei Lucani caedem imperat. Is, profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque, et paullatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis pectore, intelligit, recordatus carmen a se compositum, quo [1] vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit; eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac, et Quintianus, et Scevinus, non ex priore vitae mollitia, mox reliqui conjuratorum, periere, nullo facto dictove memorando.

Sed compleri interim Urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis; ornare lauru domum; genua ipsius advolvi; et dextram osculis fa-

[1] Vulneratum Militem.] Lycidam, de quo Lucanus iii. 635.

tigare. Atque ille, gaudium id credens, Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur: Milichus, praemiis ditatus, "Conservatoris" sibi nomen, Graeco ejus rei vocabulo, adsumpsit. E tribunis Granius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit: Statius Proximus veniam, quam ab Imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius; "quasi Principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur." Novio Prisco per amicitiam Senecae, et Glicio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis, data exsilia. Priscum Antonia Flaccilla conjunx comitata est: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis: quae utraque gloriam ejus auxere. Pellitur et Rufius Crispinus occasione conjurationis, sed Neroni invisus, quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat. Verginium et Rufum, claritudo nominis expulit. Nam Verginius studia juvenum eloquentia, Musonius Praeceptis sapientiae, fovebat. Cluvidieno Quieto, Julio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Julio Altino, velut in agmen et numerum, Ægaei maris insulae permittuntur. At Cadicia, uxor Scevini, et Caesonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se, tantum poena experti. Acilia, mater Annaei Lucani, sine absolutione, sine supplicio, dissimulata.

Quibus perpetratis Nero, et concione militum habita, bina nummum millia viritim manipularibus divisit; addiditque sine pretio frumentum, quo ante, ex modo annonae, utebantur. Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum, et triumphale decus Petronio Turpiliano, consulari, [1] Cocceio Nervae, praetori designato, Tigellino, praefecto praetorii, tribuit; Tigellinum et Nervam ita extollens, ut, super triumphales in foro imagines, apud palatium quoque effigies

[1] Cocceio Nervae.] Postea Imperatori.

eorum: sisteret; consularia insignia Nymphidio, de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos libertosque Principum vulgaverat, ex C. Caesare se genitum ferebat, quoniam, forte quadam habitu procerus, et torvo vultu erat: sive C. Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri ejus inlusit.

Sed Nero, vocato senatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum, et collata in libros indicia, confessionesque damnatorum adjunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, "tamquam viros insontes, ob invidiam, aut metum, exstinxisset." Ceterum coeptam, adultamque, et revictam, conjurationem neque tunc dubitavere, quibus verum noscendi cura erat; et fatentur, qui, post interitum Neronis, in Urbem regressi sunt. At in senatu cunctis, ut cuique plurimum moeroris, [1] in adulationem demissis, Junium Gallionem, [2] Senecae fratris morte pavidum, et pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, "hostem et parricidam" vocans: donec consensu patrum deterritus est, "ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita et obliterata mansuetudine Principis, novam ad saevitiam retraheret."

Tum decreta "dona, et grates deis; propriusque honos Soli, cui est vetus aedes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta conjurationis numine retexisset: utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur: mensis quo-

[1] Plurimum moeroris.] Quo quisque plus moeroris habebat ob parentum, affiniumve caedem, eo erat in adulationem demissior, ut adulatione moerorem tegeret.

[2] Junium Gallionem.] Duo memorantur fratres Senecae: Annaeus Mela, pater Lucani poetae, et M. Annaeus Novatus, qui a Gallione postea adoptatus L. Junius Gallio dictus est. Ille ipse est Gallio, qui S. Paulum, a Judaeis ad suum tribunal adductum, imperitante Claudio, dimisit. Act. Apost. xviii 12. Inde, ut mihi videtur, commentitiae Pauli ad Senecam, Senecae ad Paulum epistolae.

que Aprilis *Neronis* cognomentum acciperet: templum Saluti extrueretur, eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat." Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, inscripsitque JOVI VINDICI. In presens haud animadversum; post arma Julii Vindicis,[1] ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. Reperio in commentariis senatus, Cerialem Anicium, consulem designatum, pro sententia dixisse, "ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur." Quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso, et venerationem deum merito: quod ad omina solum sui exitus verteretur. Nam deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.

[1] Vindicis.] Qui rebellione sua Neronem ad mortem compulit

TACITI HISTORIAE, LIB. I. CAP. 1...49.

A. U. C. 822. J. C. 69.

INITIUM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius, consules erunt. Nam, post conditam Urbem, octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores retulerunt: dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere. Simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia reipublicae, ut alienae, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Ita neutris cura posteritatis, inter infensos, vel [1] obnoxios. Sed [2] ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis, nec amore quisquam, et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae, et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui: rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere, licet.

Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Quatuor Principes ferro interempti. Tria bella civilia, plura externa, ac plerumque permixta. Prosperae, in Oriente; adversae, in Occidente res. Turbatum Illyricum: Galliae nutantes: perdomita Britannia, et sta-

[1] Obnoxios.] Principibus obnoxios, divitiarum et honorum aucupes.
[2] Ambitionem scriptoris.] Principem ambitiose laudantis.

tim [1] missa: coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus cladibus mutuis Dacus: mota etiam prope Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam saeculorum seriem repetitis, adflicta. Haustae aut obrutae [2] Urbes fecundissima Campaniae ora: et Urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso: pollutae caerimoniae: magna adulteria: plenum exsiliis mare: infecti caedibus scopuli: atrocius in Urbe saevitum. Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine: et, ob virtutes, certissimum exitium. Nec minus praemia delatorum invisa, quam scelera: cum alii sacerdotia et consulatus, ut spolia, adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta. Odio et terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti: et, quibus deerat inimicus, per amicos oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit.

Comitatae profugos liberos matres: secutae maritos in exsilia conjuges: propinqui audentes: constantes generi: contumax, etiam adversus tormenta, servorum fides: supremae clarorum virorum necessitates: ipsa necessitas fortiter tolerata: et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Praeter multiplices rerum humanarum casus, coelo terraque prodigia, et fulminum monitus, et futurorum praesagia, laeta, tristia, ambigua, manifesta. Nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve justis indiciis approbatum est, non esse curae deis securitatem nostram, esse [3] ultionem.

[1] Missa.] Omissa, neglecta.

[2] Urbes.] Quas inter Herculaneum et Pompeii.

[3] Ultionem.] Atrox sententia. Non malignus est Deus, sed scelerum patiens ac demum ultor. Tacitus autem imitatus videtur Lucanum, Pharsal. iv. 107.

Felix Roma quidem, civesque habitura beatos
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet.

Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status Urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit: ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque [1] fortuiti sunt, sed [2] ratio etiam causaeque noscantur. Finis Neronis, ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modo in Urbe apud patres, aut populum, aut Urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse Principem alibi, quam Romae fieri. Sed patres laeti, usurpata statim libertate, licentius, ut erga [3] Principem novum et absentem: primores equitum proximi gaudio patrum: pars populi integra, et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum, et exsulum, in spem erecti: plebs sordida, et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui, adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, moesti et rumorum avidi.

Miles urbanus, longo Caesarum sacramento imbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu, quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum, sub nomine Galbae promissum, neque magnis meritis ac praemiis eumdem in pace, quem in bello, locum, praeventamque gratiam intelligit apud Principem, a legionibus factum; pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini, praefecti, imperium sibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus. Sed, quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia: nec deerant sermones "senium atque avaritiam Gal-

Nec aliter Tullius, De Nat. Deorum iii. 32 et se 99. In hanc impietatem abiere veterum sapientissimi, malorum gravitate victi, nec in patientiae CHRISTIANAE spem praemiaque erecti.

[1] Fortuiti sunt.] Inexpectati et non praevisi. Nam cum nihil fiat sine causa, eventus fortuiti sunt, non in se, sed quoad nos.

[2] Ratio etiam causaeque.] Haec est Historia: caetera nugae, memoriaeque onera.

[3] Principem.] Galbam.

bae" increpantium. Laudata olim, et militari fama celebrata severitas ejus, angebat aspernantes veterem disciplinam, atque ita quatuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbae vox pro republica honesta, ipsi anceps, "legi a se militem, non emi." Nec enim ad hanc formam cetera erant.

Invalidum senem T. Vinius, et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum onerabant, contemptu inertiae destruebant. Tardum Galbae iter, et cruentum, interfectis Cingonio Varrone, consule designato, et Petronio Turpiliano, consulari: ille ut Nymphidii socius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefensi, tamquam innocentes perierant. Introitus in Urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine, atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat, plena Urbs exercitu insolito: multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia, et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum, et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata.

Forte congruerat, ut Clodii Macri, et Fonteii Capitonis caedes nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus, procurator, jussu Galbae; Capitonem in Germania, cum similia coeptaret, Cornelius Aquinus, et Fabius Valens, legati legionum, interfecerant, antequam juberentur. Fuere, qui crederent, Capitonem, ut avaritia et libidine foedum, ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse: sed a legatis, bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, crimen ac dolum compositum ultro: et Galbam, mobilitate ingenii, an, ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non

poterant, comprobasse. Ceterum utraque caedes sinistre accepta: et, inviso semel Principe, seu bene, seu male facta premunt. Jam adferebant venalia cuncta praepotentes liberti: servorum manus subitis avidae, et tamquam apud senem festinantes: eademque novae aulae mala, aeque gravia, non aeque excusata. Ipsa [1] aetas Galbae et inrisui, ac fastidio erat, adsuetis juventae Neronis, et Imperatores forma ac decore corporis (ut est mos vulgi) comparantibus.

Et hic quidem Romae, tamquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E provinciis, Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus, et pacis artibus,[2] bellis inexpertus. Galliae, super memoriam Vindicis, obligatae recenti dono Romanae civitatis, et in posterum tributi levamento. Proximae tamen Germanis exercitibus Galliarum civitates, non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena, ac suas injurias, metiebantur. Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati superbia recentis victoriae, et metu, tamquam alias partes fovissent. Tarde a Nerone desciverant: nec statim pro Galba Verginius: an imperare voluisset, dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat. Fonteium Capitonem occisum, etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio per simulationem amicitiae: quem non remitti, atque etiam reum esse, tamquam suum crimen accipiebant.

Superior exercitus legatum, Hordeonium Flaccum, spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite, regimen; adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere: donec, missu Galbae, A. Vitellius aderat, censoris Vitellii, ac ter consulis, filius.

[1] Ætas Galbae.] Tres et septuaginta annos natus Galba.
[2] Artibus.] Intelligatur, instructus, abundans.

[1] Id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non sanc aliae legiones, per omnes civilium bellorum motus, innocentius egerunt: seu quia procul, et Oceano divisae; seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. Quies et Illyrico: quamquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. Sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miscebantur.

Oriens adhuc immotus. Syriam et quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat: mox, attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus, tam prope ab exsule fuit, quam postea a Principe. Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus: nimiae voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnae virtutes. Palam laudares; secreta male audiebant. Sed, apud subjectos, apud proximos, apud collegas, variis inlecebris potens: et, cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere. Bellum Judaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum, aut animus. Quippe Titum filium ad venerationem cultumque ejus miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta lege fati, et ostentis, ac responsis, destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium, post fortunam credidimus.

Ægyptum copiasque, quibus coerceretur, jam inde a divo Augusto, equites Romani obtinent, loco regum. Ita visum expedire provinciam, aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione, ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum,

[1] Id satis videbatur.] Egregie dictum, Nempe ad securitatem suam Galbae satis videbatur praefecisse superiori Germaniae H. Flaccum, podagrosum senem; Germaniae inferiori A. Vitellium, belluonem gulosum.

[1] domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander ejusdem nationis. Africa, ac legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contentae qualicumque Principe, post experimentum domini minoris. Duae Mauretaniae, Raetia, Noricum, Thracia, et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem, aut odium, contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciae, atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant. Hic fuit rerum Romanarum status: cum Ser. Galba iterum, Titus Vinius consules, inchoavere annum sibi ultimum, reipublicae prope supremum.

Paucis post Kalendas Januarias diebus Pompeii Propinqui, procuratoris, e Belgica literae afferuntur, "superioris Germaniae legiones, rupta sacramenti reverentia, Imperatorem alium flagitare, et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere," quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbae, jam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat: primum licentia, ac libidine talia loquendi, dein fessa jam aetate Galbae. Paucis judicium, aut reipublicae amor: multi occulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium diverterant, qui in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat. Quippe hiantes, in magna fortuna, amicorum cupiditates, ipsa Galbae facilitas intendebat: cum, apud infirmum et credulum, minore metu, et majore praemio peccaretur.

Potentia principatus divisa in T. Vinium, consulem, et Cornelium Laconem, praetorii praefectum. Nec minor gratia Icelo, Galbae liberto, quem, anulis donatum, equestri nomine *Martianum* vocitabant. Hi discordes, et rebus minoribus sibi quisque tendentes,

[1] Domi retinere.] Ita ut nihil externum cogitaret, nullaque esset novarum rerum materia.

circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant, quam alium. Neque erat Galbae ignota Othonis ac T. Vinii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium (quia vidua Vinio filia, caelebs Otho) gener ac socer destinabantur. Credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. Namque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat; gratus Neroni aemulatione luxus: eoque jam Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppaea, in provinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes transgressus, nec segnis, et donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus, spem adoptionis, statim conceptam, acrius in dies rapiebat; faventibus plerisque militum; prona in eum aula Neronis, ut similem.

Sed Galba, post nuntios Germanicae seditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius, quonam exercituum vis erumperet, ne Urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit. Adhibitoque, super Vinium, ac Laconem, Mario Celso, consule designato, ac Ducennio Gemino, praefecto Urbis, pauca praefatus de sua senectute, "Pisonem Licinianum arcessi" jubet: seu propria electione, sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui, apud Rubellium Plautum, exercita cum Pisone amicitia: sed callide, ut ignotum, fovebat, et prospera de Pisone fama consilio ejus fidem addiderat. Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur: ea pars morum ejus, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.

Igitur Galba, apprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: "Si te privatus, lege curiata, apud pontifices, ut moris est, adoptarem; et mihi egregium erat Cn. Pompeii et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere; et tibi insigne, Sulpiciae ac Lutatiae decora, nobilitati tuae adjecisse. Nunc me, deorum hominumque consensu ad imperium vocatum, praeclara indoles tua, et amor patriae impulit, ut Principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum, in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit; ego, in republica: non, quia propinquos, aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi, et judicii mei documentum sint, non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae. Est tibi frater pari nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea aetas tua, quae cupiditates adolescentiae jam effugerit: ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti. Secundae res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. [1] Fidem, libertatem, amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis: sed alii per obsequium imminuent. Inrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. Etiam ego, ac tu, simplicissime inter nos hodie loquimur: ceteri, libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere Principi, quod oporteat, multi laboris: assentatio erga Principem quemcumque, sine affectu peragitur."

[1] Fidem.] Boccalinus Tacitum arguit, quod *fidem* virtutibus principum annumeraverit, cum tantum privatorum sit: Principes vero sola sua *utilitate* regi debeant. Haec Boccalinus, haec Machiavellus Principes suos docuerint. At Tacitum, Imperatoremque Romanum dedecent, penes quos FIDES primum et sacrosanctum auctoritatis vinculum ac praesidium.

"Si immensum imperii corpus stare, ac librari, sine rectore, posset, dignus eram, a quo respublica inciperet. Nunc eo necessitatis jampridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit, quam bonum Principem. Sub Tiberio, et Caio, et Claudio, unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi coepimus. Et, finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari, et nasci a Principibus, fortuitum, nec ultra aestimatur; adoptandi judicium [1] integrum: et, si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem, longa Caesarum serie tumentem, non Vindex, cum inermi provincia, aut ego, cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere: neque erat adhuc damnati Principis exemplum. Nos bello, et ab aestimantibus adsciti, cum invidia, quamvis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, si duae legiones, in hoc concussi orbis motu, nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: et, audita adoptione, desinam videri senex, quod nunc mihi unum objicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius, neque temporis hujus; et impletum est omne consilium, si te bene elegi. Utilissimus idem, ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare, quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris. Neque enim hic, ut in ceteris gentibus, quae regnantur, certa dominorum domus, et ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati [2] possunt, nec totam libertatem." Et

[1] Judicium integrum.] Integrum quidem est judicium adoptandi et eligendi Principes: fortuitum autem generari et nasci a principibus. "At adeo inconsulta sunt hominum judicia, ut longo saeculorum usu compertum, plures nasci maximos optimosque Principes, quam eligi." Sic Broterius; decernant politici

[2] Pati possunt] Haec Galba; aliter dixisset Tiberius, qui Romanorum ingenia, imperiique vim et artes altius penetraverat.

Galba quidem, haec ac talia, tamquam Principem faceret; ceteri, tamquam cum facto, loquebantur.

Pisonem ferunt statim intuentibus, et mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exsultantis, animi motum prodidisse. Sermo erga patrem Imperatoremque reverens: de se moderatus; nihil in vultu habituque mutatum: quasi imperare posset magis, quam vellet. Consultatum inde, "pro rostris, an in senatu, an in castris adoptio nuncuparetur." "Iri in castra" placuit: "honorificum id militibus fore, quorum favorem, ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum." Circumsteterat interim palatium publica exspectatio, magni secreti impatiens; et male coercitam famam supprimentes augebant.

Quartum Idus Januarias, foedum imbribus diem, tonitrua, et fulgura, et coelestes minae, ultra solitum, turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis, non terruit Galbam quominus in castra pergeret, contemptorem talium, ut fortuitorum; seu, quae fato manent, quamvis significata, non vitarentur. Apud frequentem militum concionem, Imperetoria brevitate, "adoptari a se Pisonem, more divi Augusti, et exemplo militari, quo vir virum legeret," pronuntiat. Ac, ne dissimulata seditio in majus crederetur, ultro adseverat, "quartam et duodevicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore." Nec ullum orationi aut lenocinium addit, aut pretium. Tribuni tamen centurionesque, et proximi militum, grata auditu respondent: per ceteros moestitia ac silentium, tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem, bello perdidissent. Constat, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate. Nocuit antiquus rigor, et nimia severitas; cui jam pares non sumus.

Inde apud senatum non comptior Galbae, non longior, quam apud militem, sermo. Pisonis comis ora-

tio: et patrum favor aderat: multi voluntate; effusius, qui noluerant; medie, at plurimi, obvio obsequio privatas spes agitantes, sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem et caedem fuit) dictum a Pisone in publico, factumve. Crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis, et, facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant patres, mittendos ad Germanicum exercitum legatos: agitatum secreto, num et Piso proficisceretur; majore praetextu: illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. Placebat, et Laconem, praetorii praefectum, simul mitti. Is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati, excusati, substituti. ambitu remanendi, aut eundi, ut quemque metus, vel spes, impulerat.

Proxima pecuniae cura: et cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, unde inopiae causa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumae super portiones erant, iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant; cum rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri, aut foenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani praepositi; novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum: ubique hasta, et sector; et inquieta Urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus, et Antonius Naso: ex Urbanis cohortibus, Æmilius Pacensis: e vigiliis, Julius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium: tamquam per artem et formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis.

Interea Othonem, cui, compositis rebus, nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimula-

bant: luxuria etiam Principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo magis concupisceret. "Praegravem se Neroni fuisse: nec Lusitaniam rursus, et alterius exsilii honorem exspectandum: suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem Principem: magis nociturum apud juvenem, ingenio trucem, et longo exsilio efferatum. Occidi Othonem posse: proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Mortem omnibus ex natura aequalem, oblivione apud posteros, vel gloria distingui. Ac, si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse, merito perire."

Non erat Othonis mollis, et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque corruptius, quam in privata domo, habiti, aulam Neronis, et luxus, adulteria, matrimonia, ceterasque regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes; quiescenti, ut aliena exprobrabant: urgentibus etiam mathematicis, dum "novos motus, et clarum Othoni annum, observatione siderum," adfirmant: genus hominum, potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. Multos secreta Poppæae mathematicos, pessimum Principalis matrimonii instrumentum, habuerant: e quibus Ptolemaeus, Othoni in Hispania comes, cum "superfuturum eum Neroni" promisisset, postquam ex eventu fides, conjectura jam, et rumore, senium Galbae, et juventam Othonis computantium, persuaserat, "fore, ut in imperium adscisceretur." Sed Otho, tamquam peritia et monitu fatorum praedicta, accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credentis. Nec deerat Ptolemaeus, jam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur.

Sed sceleris cogitatio, incertum an repens: studia militum jam pridem, spe successionis, aut paratu facinoris, adfectaverat; in itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus, "contubernales" appellando; alios agnoscere, quosdam requirere, et pecunia, aut gratia, juvare; inserendo saepius querelas, et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii, atrocius accipiebantur: cum, Campaniae lacus, et Achaiae Urbes, classibus adire soliti, Pirenaeum, et Alpes, et immensa viarum spatia, aegre sub armis eniterentur.

Flagrantibus jam militum animis, velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigellini: is mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniae indigum, et in novas cupiditates praecipitem alliciendo, eo paullatim progressus est, ut, per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti, excubias agenti, viritim centenos nummos divideret: quam, velut publicam largitionem, Otho, secretioribus apud singulos praemiis, intendebat: adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo, speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, sua pecunia emptum, dono dederit; per socordiam praefecti, quem nota, pariter et occulta, fallebant.

Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum, [1] tesserarium speculatorum, et Veturium, [2] optionem eorundem, perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio, et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere duo manipulares Imperium populi Romani transferendum, et

[1] Tesserarium speculatorum.] Tesserarius dicebatur, qui tesseram seu signum, accipiebat, militibusque significabat.

[2] Optionem eorundem.] Eorundem speculatorum. Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine praepeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent universa curare.

transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti: suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant: primores militum, "per beneficia Nymphidii ut suspectos:" vulgus et ceteros, ira et desperatione "dilati totiens donativi:" erant, quos memoria Neronis, ac desiderium prioris licentiae accenderet: in commune omnes metu [1] mutandae militiae terrebantur.

Infecit ea tabes legionum quoque, et auxiliorum motas jam mentes, postquam vulgatum erat "labare Germanici exercitus fidem." Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero Iduum die, redeuntem a coena Othonem rapturi fuerint, nisi incerta noctis, et tota Urbe sparsa militum castra, nec facilem inter temulentos consensum, timuissent: non reipublicae cura, quam foedare Principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici, vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia, per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique, quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicus, et adversus peritos pervicax.

Octavo decimo Kalendas Februarii sacrificanti pro aede Apollinis Galbae, haruspex Umbricius "tristia exta, et instantes insidias, ac domesticum hostem" praedicit: audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque, ut laetum e contrario, et suis cogitationibus prosperum, interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat, "exspectari eum ab architecto, et redemptoribus:" quae significatio coeuntium jam militum, et paratae conjurationis convenerat. Otho, "causam digressus" requirentibus, cum, "emi sibi

[1] Mutandae militiae.] Poena erat militaris meliorem militiam in deteriorem mutari. Metuebant praetoriani urbanique milites ne in deteriorem militiam darentur.

praedia, vetustate suspecta, eoque prius exploranda," finxisset, innixus liberto, per Tiberianam domum, in Velabrum, inde ad Milliarium aureum, sub aedem Saturni, pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum "Imperatorem," ac paucitate salutantium trepidum, et sellae festinanter impositum, strictis mucronibus, rapiunt. Totidem ferme milites in itinere aggregantur; alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et gladiis, pars silentio, animos ex eventu sumpturi.

Stationem in castris agebat Julius Martialis, tribunus. Is, magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra, ac, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspicionem conscientiae. Anteposuere ceteri quoque tribuni, centurionesque, praesentia dubiis, et honestis. Isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

Ignarus interim Galba, et sacris intentus, fatigabat [1] alieni jam imperii deos: cum adfertur rumor "rapi in castra, incertum quem senatorem:" mox, "Othonem esse, qui raperetur." Simul ex tota Urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit, "tentari animum cohortis, quae in palatio stationem agebat:" nec per ipsum Galbam, cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos, in hunc modum, adlocutus est: "Sextus dies agitur, commilitones, ex quo, ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen, sive timendum erat, Caesar adscitus sum: quo domus nostrae, aut reipublicae fato, in vestra manu positum est: non quia, meo nomine, tristiorem casum paveam, ut qui, adversas res expertus, cum maxime discam, ne secundas quidem minus discriminis habere: patris, et senatus, et ipsius imperii, vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est, aut, quod

[1] Alieni jam imperii deos.] Quae Eloquentia!

aeque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habeamus, incruentam Urbem, et res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut, ne post Galbam quidem, bello locus esset."

"Nihil arrogabo mihi nobilitatis, aut modestiae: neque enim relatu virtutum, in comparatione Othonis, opus est. Vitiâ, quibus solis gloriatur, evertere Imperium, etiam cum amicum Imperatoris ageret. Habitune et incessu, an illo muliebri ornatu, mereretur Imperium? Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc, et commessationes, et feminarum coetus, volvit animo: haec Principatus praemia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim umquam imperium, flagitio quaesitum, bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba, consentientibus vobis, Caesarem dixit. Si respublica, et senatus, et populus, vana nomina sunt: vestra, commilitones, interest, ne Imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversum duces suos audita est aliquando: vestra fides, famaque, inlaesa ad hunc diem mansit: et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta transfugae, et desertores, quos centurionem, aut tribunum, sibi eligentes nemo ferret, Imperium adsignabunt? Admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? Transcendet haec licentia in provincias: et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus, quod pro caede Principis, quam quod innocentibus datur: sed perinde a nobis donativum ob fidem, quam ab aliis pro facinore, accipietis."

Dilapsis speculatoribus, cetera cohors, non aspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis, et nullo adhuc consilio, parat signa, quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsania in

porticu tendentes. Praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino, primipilaribus, "ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent." Legioni classicae diffidebatur, infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni, Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus; si incipiens adhuc, et necdum adulta, seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium milites adorti minis, Longinum manibus coercent, exarmantque: quia non ordine militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi suo, et desciscentibus suspectior erat. Legio classica, nihil cunctata, praetorianis adjungitur. Illyrici exercitus electi, Celsum [1] infestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere; invalidis adhuc corporibus, et placatis animis, quod eos, a Nerone Alexandriam praemissos, atque inde rursus longa navigatione aegros, impensiore cūra Galba refovebat.

Universa jam plebs palatium implebat, mixtis servitiis, et dissono clamore, "caedem Othonis, et conjuratorum exitium poscentium, ut si in circo, ac theatro, ludicrum aliquod postularent." Neque illis judicium, aut veritas: quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis: sed tradito more, quemcumque Principem adulandi, licentia acclamationum, et studiis inanibus. Interim Galbam duae sententiae distinebant. Titus Vinius "manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos" censebat: daret malorum poenitentiae, daret bonorum consensui spatium: scelera impetu, bona consilia mora, valescere. Denique eundi ultro, si ratio sit, eamdem mox facultatem: regressus, si poeniteat, in aliena potestate."

[1] Infestis Pilis.] Hastile pedum quinque et semis quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur; ad cujus jactum exercebantur praecipue milites: quod arte et virtute directum, et scutatos pedites, et loricatos equites saepe transverberabat.

"Festinandum" ceteris videbatur, "antequam cresceret invalida adhuc conjuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc, et segnitia terentium tempus, imitari Principem discat. Non exspectandum, ut, compositis castris, forum invadat, et, prospectante Galba, Capitolium adeat: dum egregius Imperator, cum fortibus amicis, janua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis, et, quae plurimum valet, prima indignatio languescat. Proinde intuta, quae indecora: vel, si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Id Othoni invidiosius, et ipsis honestum." Repugnantem huic sententiae Vinium, Laco minaciter invasit, stimulante Icelo, privati odii pertinacia, in publicum exitium.

Nec diutius Galba cunctatus, speciosiora suadentibus accessit. Praemissus tamen in castra Piso, ut juvenis magno nomine, recenti favore, et infensus T. Vinio; seu quia erat, seu quia irati ita volebant: et facilius de odio creditur. Vix dum egresso Pisone, "occisum in castris Othonem," vagus primum et incertus rumor, mox, ut in magnis mendaciis, "interfuisse se" quidam, "et vidisse" adfirmabant, credula fama, inter gaudentes, et incuriosos. Multi arbitrabantur, compositum, auctumque rumorem, mixtis jam Othonianis, qui, ad evocandum Galbam, laeta falso vulgaverint.

Tum vero non populus tantum, et imperita plebs in plausus, et immodica studia, sed equitum plerique, ac senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere intus, ac se Galbae ostentare, "praereptam sibi ultionem" querentes. Ignavissimus quisque, et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces: nemo scire, et omnes adfirmare: donec inopia veri, et consensu errantium victus, sumpto thorace, Galba, inruenti turbae, neque aetate, ne-

que corpore sistens, sella levaretur. Obvius in palatio Julius Atticus, speculator, cruentum gladium ostentans, "occisum a se Othonem" exclamavit. Et Galba, "Commilito," inquit, "quis jussit?" insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.

Haud dubiae jam in castris omnium mentes; tantusque ardor, ut, non contenti agmine et corporibus, in suggestu, in quo paullo antea aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis, aut centurionibus, adeundi locus: gregarius miles "caveri" insuper "praepositos" jubebat. Strepere cuncta clamoribus, et tumultu, et exhortatione mutua, non, tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed, ut quemque adfluentium militum aspexerant, prensare manibus, complecti armis, collocare juxta, praeire sacramentum, modo Imperatorem militibus, modo Imperatori milites commendare. Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum ejus accepit, fidens viribus, et, quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita coepit.

"Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum: quia nec privatum me vocare sustineo, Princeps a vobis nominatus; nec Principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, Imperatorem populi Romani in castris, an hostem habeatis. Auditisne, ut poena mea, et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse. Et, cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit: ut qui, nullo exposcente, tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum, et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis Urbis decu-

mari deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis Urbem ingressus, quam gloriam ad Principatum adtulit, nisi occisi Obultronii Sabini, et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in Urbe, Nymphidii in castris? Quae usquam provincia, quae castra sunt, nisi cruenta et maculata? aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta? Nam, quae alii scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras, disciplinam appellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et jam plus rapuit Icelus, quam quod Polycleti, et Vatinii, et Helii, et Haloti paraverunt. Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: nunc et subjectos nos habuit, tamquam suos; et viles, ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod vobis numquam datur, et quotidie exprobratur."

"Ac, ne qua saltem in successore Galbae spes esset, arcessit ab exsilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum judicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate, etiam deos infaustam adoptionem adversantes. Idem senatus, idem populi Romani animus est. Vestra virtus exspectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus, quamvis egregia, invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Cum vos aspexerit, cum [1] signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum." Aperrire deinde armamentarium jussit. Rapta statim arma, sine more et ordine militiae, ut praetorianus, aut legionarius in

[1] Signum meum.] Ne hoc accipias de vexillo. Signum est quod vulgo dicimus "*The watchword, the word; le mot de guerre.*

signibus suis distingueretur. Miscentur auxiliaribus, galeis scutisque. Nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux, et instigator: et praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni moerebant.

Jam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis, et vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam, et foro appropinquantem, assecutus erat: jam Marius Celsus haud laeta retulerat: cum alii, "in palatium redire," alii "Capitolium petere," plerique "rostra occupanda" censerent; plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. Agitasse Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut poena ejus animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio. Haesitationem adtulit tempus ac locus, quia, initio caedis orto, difficilis modus: et turbavere consilium trepidi nuntii, ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant.

Agebatur huc illuc Galba, vario turbae fluctuantis impulsu; completis undique basilicis ac templis, Jugubri prospectu: neque populi, aut plebis ulla vox: sed attoniti vultus, et conversae ad omnia aures: non tumultus, non quies: quale magni metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen, "armari plebem," nuntiabatur. Ire praecipites, et occupare pericula jubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesen, aut Pacorum, avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non Imperatorem suum, inermem et senem, trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidis equis forum inrumpunt: nec illos Capitolii aspectus, et imminentium templorum religio, et priores et futuri Principes terruere, quominus facerent scelus, cujus ultor est quisquis successit.

[1] Viso cominus armatorum agmine, vexillarius comitantis Galbam cohortis ("Atilium Vergilionem fuisse" tradunt) dereptam Galbae [1] imaginem solo adflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Juxta Curtii lacum, trepidatione ferentium Galba projectus e sella, ac provolutus est. Extremam ejus vocem, ut cuique odium, aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii suppliciter interrogasse, "quid mali meruisset?" "paucos dies exsolvendo donativo" deprecatum. Plures obtulisse ultro percussoribus jugulum, "agerent ac ferirent, si ita e republica videretur." Non interfuit occidentium, quid diceret. De percussore non satis constat: quidam "Terentium, evocatum;" alii "Lecanium:" crebrior fama tradidit "Camurium, quintaedecimae legionis militem, impresso gladio, jugulum ejus hausisse." Ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere: pleraque vulnera, feritate et saevitia, trunco jam corpori adjecta.

Titum inde Vinium invasere: de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem ejus instans metus, an proclamaverit, "non esse ab Othone mandatum, ut occideretur." Quod seu finxit formidine, seu conscientia conjurationis confessus est: huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit; cujus causa erat. Ante aedem divi Julii jacuit, primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro, legionario milite, in utrumque latus transverberatus.

Insignem illa die virum, Sempronium Densum, aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione, occurrens armatis, et scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce, vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia publici servi, et

[1] Galbae imaginem.] Vexillo affixam.

contubernio ejus abditus, non religione, nec caerimoniis, sed latebra imminens exitium differebat: cum advenere, missu Othonis, nominatim in caedem ejus ardentes, Sulpicius Florus, e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus, speculator: a quibus protractus Piso, in foribus templi trucidatur.

Nullam caedem Otho majore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur: seu tum primum levata omni sollicitudine mens, vacare gaudio coeperat: seu recordatio majestatis in Galba, amicitiae in T. Vinio, quamvis immitem animum imagine tristi confuderat. Pisonis, ut inimici et aemuli, caede laetari, jus fasque credebat. Praefixa contis capita gestabantur, inter signa cohortium, juxta Aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, qui vere, qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus, jactabant. Plures quam centum et viginti libellos proemia exposcentium, ob aliquam notabilem illo die operam, Vitellius postea invenit: omnesque conquiri et interfici jussit; non honore Galbae, sed tradito Principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

Alium crederes senatum, alium populum: ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum, quantoque magis falsa erant, quae fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum, voce vultuque temperans. Marium Celsum, consulem designatum, et Galbae usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant, industriae ejus innocentiaeque, quasi malis artibus, infensi. Caedis et praedarum initium, et optimo cuique perniciem quaeri, apparebat: sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus; jubere jam poterat. Ita, simulatione irae, "vinciri" jussum,

et "majores poenas daturum" adfirmans, praesenti exitio subtraxit.

Omnia deinde arbitrio militum acta. Praetorii praefectos sibi ipsi legere; Plotium Firmum, e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum, et, incolumi adhuc Galba, partes Othonis secutum. Adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus consilia ejus fovisse. Urbi Flavium Sabinum praefecere, judicium Neronis secuti, sub quo eamdem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum, "ut vacationes, praestari centurionibus solitae, remitterentur." Namque gregarius miles, ut tributum annuum, pendebat. Quarta pars manipuli, sparsa per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret; neque modum oneris quisquam, neque genus quaestus pensi habebat: per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles, labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret: ubi sumptibus exhaustus, socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete, et iners pro strenuo, in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias, et, ad extremum, bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione, centurionum animos averteret, "fiscum suum vacationes annuas exsoluturum" promisit: rem haud dubie utilem, et a bonis postea Principibus, perpetuitate disciplinae, firmatam. Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem ejus Otho praemiserat, confossus. In Martianum Icelum, ut in libertum, palam animadversum.

Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit laetitia. Vocat senatum praetor Urbanus: certant adulationibus ceteri magistratus. Accurrunt patres: decernitur Othoni "tribunicia potestas, et nomen Augusti, et omnes Principum honores," adnitentibus

cunctis abolere convicia ac probra, quae, promiscue jacta, haesisse animo ejus nemo sensit: omisisset offensas, an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento adhuc foro, per stragem jacentium, in Capitolium, atque inde in palatium vectus, "concedi corpora sepulturae, cremarique" permisit. Pisonem Verania uxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere, quaesitis redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant.

Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, fama meliore, quam fortuna. Fratres ejus, Magnum Claudius, Crassum Nero, interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Caesar, properata adoptione, ad hoc tantum majori fratri praelatus est, ut prior occideretur. T. Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit. Pater illi e praetoria familia, maternus avus e proscriptis. Prima militia infamis, legatum Calvisium Sabinum habuerat: cujus uxor, mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temerasset, in ipsis principiis stuprum ausa: et criminis hujus reus T. Vinius arguebatur. Igitur jussu C. Caesaris oneratus catenis: mox, mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso, legioni post praeturam praepositus, probatusque: servili deinceps probro respersus est, tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit. Sed Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit: mox Galbae amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promptus, et prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi. Testamentum T. Vinii magnitudine opum inritum: Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit.

Galbae corpus diu neglectum, et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. Caput per lixas calonesque suffixum,

laceratumque, ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis, punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum, et cremato jam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus et septuaginta annis, quinque Principes prospera fortuna emensus, et alieno imperio felicior, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. Famae nec incuriosus, nec venditator. Pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium, et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit: proconsul Africam moderate; jam senior, citeriorem Hispaniam pari justitia continuit: major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

LIB. V. CAP. I.

A. U. C. 823. J. C. 70.

HIEROSOLYMA A TITO OPPUGNATA.

Ejusdem anni principio, Caesar Titus perdomandae Judæae delectus a patre, et, privatis utriusque [1]rebus, militia clarus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis: atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se, promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans; ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Judaea legiones, quinta, et decima, et quintadecima, vetus Vespasiani miles, excepere. Addidit e Syria duodecimam, et adductos Alexandria duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae: simul Agrippa Sohemusque reges, et auxilia regis Antiochi, validaque, et, solito inter accolas odio, infensa Judaeis Arabum manus: multi, quos Urbe atque Italia, sua quemque, spes acciverat, occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit.

Sed quia famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire. [2] "Judaeos, Creta insula profugos, novissima Libyae insedisse" memorant, qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis. Argumentum e nomine

[1] Rebus.] Vespasianus et Titus, privatis adhuc rebus, id est nondum ad principatum erecti, in Germania, in Britannia, in Judaea militari laude incaluerant.

[2] Judaeos.] Operae pretium est, scire, quid antiquis scriptoribus notum fuit vel potius ignotum, de Judaeis. In hac descriptione multum est veritatis obscurae; sed Tacitus, nimia brevitate, exterosque scriptores, Judaicarum rerum ignaros, secutus, haec omnia foede corrupit.

petitur, "inclytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento, Judaeos vocitari." Quidam, "regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda, proximas in terras exoneratam." Plerique "Æthiopum prolem, quos, rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit." Sunt, qui tradant, "Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, mox proprias urbes, Hebraeasque terras, et propiora Syriae coluisse." "Clara" alii "Judaeorum initia: Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse."

Plurimi auctores consentiunt, "orta per Ægyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum, ut invisum deis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit; ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen, unum exsulum, monuisse, ne quam deorum hominumve opem exspectarent, utrimque deserti; sed sibimet, ut duci coelesti, crederent, primo cujus auxilio praesentes miserias pepulissent." Adsensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque, quam inopia aquae, fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem, nemore opacam, concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: et, continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsis cultoribus, obtinuere terras, in quis urbs et templum dicata.

Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, [1] novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus, indidit.

1 Novos Ritus.] Novos quidem, sed Deo dignos: quos a Taciti censura purgare minime necesse est, cum tot viri eruditi id praestiterint. Satis sit monuisse, Josephum libris contra Apionem i. et ii. omnia haec convicia ab

Profana illic omnia, quae apud nos [1] sacra: rursum concessa apud illos, quae nobis incesta. [2] Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere; caeso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt. [3] Sue abstinent, memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, [4] panis Judaicus nullo fermento, retinet. [5] "Septimo die otium placuisse" ferunt: "quia is finem laborum tulerit; dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviae datum." Alii "honorem eum Saturno haberi: seu, principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos, et conditores gentis accepimus, seu, quod e septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe, et praecipua potentia, stella Saturni feratur; ac pleraque coelestium vim suam et cursum, septimos per numeros, conficiant."

Hi ritus, quoquo modo inducti, [6] antiquitate defen-

Apione, Appollonio aliisque maledicis jam decantata, abunde refutasse. Vide etiam "Epistolas quasdam Judaeorum ad D. Voltarium" nuper editas, in quibus ille facetus, sed futilis et parum accuratus scriptor, docte arguitur, et ad irrisionem salsissimè attollitur.

1 Apud nos sacra.] Vere quidem. Unum enim Deum Judaei, Romani innumera deorum simulacra, morbos, pestes, vitiaque colebant.

2 Effigiem Animalis.] Hinc fabula adversatur ipse Tacitus cum mox infra ait, "*nulla simulacra urbibus, nedum templis.*"

3 Sue abstinent.] Non sue tantum, sed etiam sanguine, morticinis, quamplurimis etiam avibus, piscibus, animalibus, juxta leges Leviticas abstinent Judaei. Id autem vetitum Dei providentia, qui populi sui saluti consulebat.

4 Panis Judaicus.] Hic agnoscere est panem azymum de quo Exod. xii. 8. At panis ille non raptarum frugum sed maeroris et luctus fuit argumentum. Inde in Deut. xvi. vocatur *Panis afflictionis*, quoniam in pavore egressi sunt de Ægypto Judaei. Azymus panis autem non vulgatus fuit in victu Judaico, ut innuit Tacitus. Eo tantum utebantur, cum Pascha celebrabant; ac ne toto quidem septiduo, sed primo solum die.

5 Septimo die otium.] Vere quidem, sed parum accurate. Memoria enim septimi diei, seu sabbati, ab orbe condito, ut Deus rerum omnium auctor coleretur, sancta fuit.

6 Antiquitate.] Quod quidem Taciti testimonium Mosis legisque Judaicae antiquitatem comprobat.

duntur: cetera instituta sinistra, foeda, [1] pravitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis religionibus patriis, tributa et stipes illuc congerebant. Unde auctae Judaeorum res; et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent: inter se nihil inlicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum, idem usurpant: nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendae tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex agnatis, nefas: animasque proelio aut suppliciis peremptorum, aeternas putant. Hinc generandi amor, et moriendi contemptus. Corpora condere, quam cremare, e more Ægyptio; eademque cura, et de infernis persuasio: coelestium contra. Ægyptii pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur; Judaei [2] mente sola, unumque numen intelligunt. "Profanos, qui deum imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant. Summum illud et aeternum, neque mutabile, neque interiturum." Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt. Non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed, quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta; "Liberum patrem coli, domitorem Orientis," quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos laetosque ritus posuit; Judaeorum mos absurdus sordidusque.

[1] Pravitate valuere.] Sinistra, foeda habeantur Judaeorum instituta, si pravitas sit Jovem, Venerem caeteraque Romanarum religionum monstra temnere, Deum unum, summum, aeternum, neque mutabilem, neque interiturum, colere.

[2] Mente sola, unumque Numen.] Bene egregieque Tacitus.

Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur: a Meridie, Ægyptus objacet: ab Occasu, Phoenices et mare: Septemtrionem, a latere Syriae, longe prospectant. Corpora hominum salubria, et ferentia laborum: rari imbres, uber solum. Exuberant fruges nostrum ad morem; praeterque eas, balsamum et palmae. Palmetis proceritas, et decor. Balsamum, modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venae; fragmine lapidis, aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem alit, funditque. Nec Jordanes pelago accipitur: sed unum atque alterum lacum integer perfluit; tertio retinetur. Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut suetas aquis volucres, patitur. Incertae undae: superjacta, ut solido, ferunt: periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni, bitumen egerit; cujus legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, et sparso aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde, nullo juvante, influit, oneratque, donec abscindas: nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem; sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox, ubi vapore terrae, vi solis inaruerint, securibus cuneisque, ut trabes aut saxa, discindi.

Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque [1] urbibus habitatos, [2] fulminum jactu ar-

1 Magnisque urbibus habitatos.] Vere quidem. Illi enim campi olim habitati urbibus Sodomis, Gomorra, Seboim, Adama, et Bala seu Segor. Magnae, ut erant iis temporibus, urbes, quibus singulis sui reges. Vide Genesis xiv. 2. Hic quoque, ut ex testimonio indigenarum, tredecim urbes conflagrasse memorat Strabo.

2 Fulminum jactu] Bene Tacitus, Deus enim, impuras urbes perditurus, fulmina ejaculatus est. Sic Genes. xix. 24.

sisse: et manere vestigia; terramque, specie torridam, vim frugiferam [1] perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem evanescunt. Ego, sicut inclytas quondam urbes igne coelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo coeloque juxta gravi. Et Belus amnis Judaico mari inlabitur: circa cujus os conlectae arenae, admixto nitro, in vitrum excoquuntur: modicum id litus, sed egerentibus inexhaustum.

Magna pars Judæae vicis dispergitur: habent et oppida. Hierosolyma genti caput. Illic immensae opulentiae [2] templum; et primis munimentis urbs, dein regia; templum intimis clausum: ad fores tantum Judaeo aditus: limine, praeter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes, Medosque, et Persas, Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepotuere, rex Antiochus demere superstitionem, et mores Graecorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est: nam, ea tempestate, Arsaces desciverat. Tum Judaei, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, (et Romani procul erant) sibi

[1] Perdidisse.] Accurate dictum. Nec aliter Genes. xix. 25. et Deuteronom. xxix. 23. *Sulphure et salis ardore comburens, ita ut non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subversionis Sodomae et Gomorrhae, Adamae et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo.* Eamdem ariditatem vastitatemque recens observarit Hasselquist. "Nullae," inquit, "in illo mari arundines: nulla planta in litore. Paulo quidem longius, planta una, labioso flore, sed foetida. In campo, alia planta, salis gustu."

[2] Templum] Templum fuit in monte Moriah. Laborem opusque egregium, immensasque in iis impensas explicat Josephus De Bello Judaico v. 5. Satis sit monuisse, Judaeos in hujus templi extructione usos esse saxis, quorum singula habebant mensura nostra pedes 65 longitudine, 8 altitudine, 10 latitudine. Inde intelligas quod habet S. Marcus xiii. 1. 2. *Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, et quales structurae. Et Jesus respondens ait illi. Vides hae omnes aedificationes: non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

ipsi reges imposuere: qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi, superstitionem fovebant: quia honor sacerdotii, firmamentum potentiae adsumebatur.

Romanorum primus Cn. Pompeius Judaeos domuit: templumque jure victoriae ingressus est. Inde vulgatum, "nulla intus deum effigie vacuam sedem, et inania arcana." Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox, civili inter nos bello, postquam in ditionem M. Antonii provinciae cesserant; rex Parthorum Pacorus Judaea potitus, interfectusque a P. Ventidio, et Parthi trans Euphraten redacti: Judaeos C. Sosius subegit. Regnum, ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Caesare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus: et gentem coercitam, liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies: dein, jussi a C. Caesare "effigiem ejus in templo locare," arma potius sumpsere: quem motum Caesaris mors diremit. Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Judaeam provinciam equitibus Romanis, aut libertis permisit: e quibus Antonius Felix, per omnem saevitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatrae et Antonii nepte, in matrimonium accepta, ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

Duravit tamen patientia Judaeis, usque ad Gessium Florum, procuratorem. Sub eo bellum ortum: et comprimere coeptantem Cestium Gallum, Syriae legatum, varia proelia, ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato, aut taedio occidit; missu Neronis, Vespasianus fortuna famaque, et egregiis ministris, intra duas aestates, cuncta camporum, omnesque, praeter Hierosolyma, urbes, victore exercitu tenebat. Proximus annus

civili bello intentus, quantum ad Judaeos, per otium transiit: pace per Italiam parta, et externae curae rediere. Augebat iras, quod soli Judaei non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur. Igitur, castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentavit.

Judaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri; et, si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambigue certavit. Mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis proelia serebant; donec assiduis damnis, intra moenia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi: neque enim dignum videbatur, famen hostium opperiri: poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia, et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma, et opes, voluptatesque ante oculos; ac, ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem, arduam situ, opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles, immensum editos, claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium, ad ictus patescerent. Extrema rupis, abrupta: et turres, ubi mons juvisset, in sexaginta pedes; inter devexa, in centenos vicenosque attollebantur; mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus moenia, regiae circumjecta: conspicuoque fastigio turris *Antonia*, in honorem M. Antonii ab Herode appellata.

Templum in modum [1] arcis, propriique muri, labore et opere ante alios: ipsae porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cavati sub terra [2] montes; et piscinae cisternae-

[1] Porticus.] Porticus illae omnes erant duplices, quas sustinebant columnae pedibus nostris 40 altae; singulis e saxis marmore candidissimo, et cedrinis laquearibus tegebantur: latae autem erant ad nostros pedes quinquaginta.

[2] Montes.] Aquis, frumento, commeatibus, thesauris servandis.

que servandis imbribus. Praeviderant conditores, ex diversitate morum, crebra bella: inde cuncta, quamvis adversus longum obsidium; et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque, per avaritiam Claudianorum temporum, empto jure [1] muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum; magna colluvie, et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema et latissima moenium Simon; mediam urbem Joannes, quem et Bargioram vocabant; templum Eleazarus firmaverat. Multitudine et armis Joannes, ac Simon; Eleazarus loco pollebat. Sed [2] proelia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Joannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur: ita in duas factiones civitas discessit, donec, propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam [3] pareret.

Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet [4] gens, superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere tem-

1 Empto jure muniendi.] Expugnatis Hierosolymis muros diruerat Pompeius. Agrippa rex, Caio Claudioque acceptus, eos restituere coepit: inhibitus tamen fuit, ne urbs valesceret. Sed per Claudianorum temporum avaritiam, cum omnia venalia proponerentur, empto jure muniendi, struxere muros tanquam ad bellum. Universus urbis circuitus erat trium et triginta stadiorum. Muri alti cubitos viginti, et cum minis et propugnaculis tota altitudo erat quinque et viginti cubitorum: latitudo autem decem cubitorum. Saxa vero, quibus erant constructi, longa cubitos viginti, decem lata. Josephus, Bellum Judaicum.

2 Proelia.] Atrociora enim Judaeorum cum Judaeis, quam cum Romanis, fuere bella ac proelia; quae flens queribundusque Josephus fuse prosequitur.

3 Concordiam pareret.] Nec diu stetit concordia. Odia, intestinaque bella recruduere; et secum ipsi iterum dissidentes pugnavere.

4 Fas habet gens.] Immo nulla alia gens, cui facilior illustrior fuerit propitiatio. At inexpiabilia obstinatae perversitatis scelera ultum ibat Deus. Jamque supremum illud excidium imminebat, quod ante praedixerat Jesus Christus. Matth. xxiv. Marc. xiii. Luc. xxi.

plum. Expassae repente delubri fores; et audita major humana vox, "excedere deos:" simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, "ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur." Quae ambages Vespasianum ac Titum [1] praedixerant. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum omnis aetatis, virile ac muliebre secus, [2] sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent; et plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio viris feminisque par: ac, si transferre sedes cogerentur, major vitae metus, quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetum et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies proeliorum fuit; donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, [3] struerentur.

1 Praedixerant.] Hic Tacitus Vespasiano Titoque, fortunae suae auctoribus, adulatur. Ejusdem criminis reus, et magis damnandus, Josephus, qui fidem suam Christumque negat, ut Vespasiani favorem captet. At certissimum est, et cuique saeculorum eventorumque seriem reputanti manifestum, hoc oraculo aliisque plurimis praenuntiatum fuisse Jesu Christi regnum; *quod in aeternum non dissipabitur*. Daniel ii. 44. Illud est regnum, quod Apostoli, Judaea profecti, non opum fulgore, non armorum vi, ne *in persuasibilibus* quidem *humanae sapientia verbis, sed in ostencione spiritus et virtutis*, fundaverunt.

2 Sexcenta Millia.] At Josephus ait, in hac obsidione periisse undecies centena millia hominum. Si quae Josephus generatim dixit, aestimaverimus, sane haud pauciores Judaei toto hoc bello periere, quam vicies centena millia. Eventa illa, quibus nulla unquam extitere illustriora et testatiora, immo quorum nosmetipsi testes sumus, cum vaticiniis Danielis ix. 26. 27. ipsiusque Moysis, qui in Deuteronom. xxviii. 46. et seqq. Judaicam hanc calamitatem non tam praedixit, quam descripsit, conferamus; atque nihil esse in religione divinius fateamur.

3 Struerentur.] De Bello Judaico et ejus eventu percontari liceat Josephum "De Bell. Judaico" et G. Broterij appendicem et notas ad hunc librum quintum Historiarum. In his proximis occurrunt multa de Judaeis, de eorum moribus, etc. quibus adire operae pretium erit. Vide etiam de Bello Vespasiano contra Judaeos et Hierosolymorum exitio, doctissimi Gul. Newcome, Archiepiscopi Armachensis, viri omni laude digni, opus eximium "*De Vita et Moribus D. nostri Jesu Christi*"

Hierosolyma, post obsidium, etiam Romanis funestum sed Judaeis prope

ad internecionem exitiale, capta et incensa Quarto Nonas Septembris, Anno Domini nostri septuagesimo. Haec fata fuere urbis, quae, per annos bis mille centum septuaginta septem, summa per Orientem claritate stetisset. Sic adimpletum est quod tanto ante praedixerat Daniel ix 26. *Occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et civitatem *et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo ; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Judaei autem, perpetui oraculorum testes, ab hoc templi excidio annos computant, et vocant *AEram Desolationis.* Haec autem omnia eorumque tempora aperte dilucideque significaverat Jesus Christus, Luc. xxi. 20 et seqq. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote appropinquare desolationem ejus..... . Et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus.....Non praeteribit haec generatio, donec omnia fiant.* Nec certe praeterierat haec generatio, cum is annus sit a morte J. C. quadragesimus secundus, vel ut aliis placet, trigesimus octavus.

GERMANIA.

GERMANIA [1] omnis [2] a Gallis Raetisque et Pannoniis, Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque, mutuo metu, aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus, et insularum immensa spatia [3] complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu, in Occidentem versus, septemtrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobae jugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum enim os paludibus hauritur.

Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos: quia nec terra olim, [4] sed classibus advehebantur, qui mu-

[1] Germania.] Hic Libellus, meditandus potius, quam legendus, plus curae atque diligentiae meretur, quod in eo juris nostri politici fontes lateant. Vere enim Montesquius, De Legibus xxx. 19. "In legem nostram politicam altius penetrare non licet, nisi populorum Germanicorum et Leges et Mores exacte perscrutati simus." Brevis quidem est libellus, sed alto Taciti ingenio et immensa rerum copia plenus; quem paucis, sed egregie, laudavit idem Montesquius celeberrimus, loc. cit. cap. 2. "Tacitus reliquit tractatum de moribus Germanorum: tractatus hic est brevis, sed TACITI est opus, qui omnia in breve reduxit, quia omnia perexplorata habuit."

[2] Germania omnis.] Germania de qua nunc agitur, est Transrhenana. Ad occasum Rheno, ad Meridiem Danubio, ad Orientem Vistula, Sarmatia Daciaque, ad Septemtrionem Oceano terminatur. Occidentem versus praetenduntur Galli, versus Meridiem Raeti et Pannonii, versus Orientem Sarmatae et Daci; caetera versus Septemtrionem ambit Oceanus, latos sinus, Bothnicum et Finlandicum (mare Balticum seu Suevicum) complectens.

[3] Immensa spatia.] Incomperta Romanis hac terrarum parte, *Scandinaviam* (nunc *Sweden et Norway*) et Eningiam (*Finland*) insulas esse falso existimabant.

[4] Nec terra olim.] Immo primum terra, deinde classibus, sed sero, et cum artes adolevissent, mutatae hominum sedes.

tare sedes quaerebant; et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus, raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret?[1] informem terris, asperam coelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis[2] (quod unum apud illos memoriae et annalium genus est) "Tuistonem deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Istaevones vocentur." Quidam autem, licentia vetustatis, "plures deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios" adfirmant: "eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens, et nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim, ut omnes, primum a victore, ob metum, mox a seipsis invento nomine, *Germani* vocarentur." "Fuisse apud eos et Herculem" memorant; primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt.

Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem *Barditum* vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam voces illae, quam virtutis concentus, videntur: adfectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et "Ulixem" quidam opinantur, "longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum dela-

[1] Germaniam peteret.] Nondum satis valida ratio. Saepe homines tutas, potius quam laetas, sedes quaesiere. Eodem argumento a fortiori probari possit, nostrates *Nov-Angliae* indigenas esse.

[2] Carminibus antiquis.] Omnibus retro saeculis, et apud barbaras omnes gentes, ut ex America populis nobis adhuc compertum, idem fuit carminum usus, eadem utilitas.

tum, adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod, in ripa Rheni situm, hodieque incolitur, ab illo constitutum, nominatumque ΑΣΚΙΠΥΡΓΙΟΝ. Aram quoque Ulixi consecratam, adjecto Laertae patris nomine, eodem loco, olim repertam: monumentaque, et tumulos quosdam, Graecis literis inscriptos, in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc exstare:" quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem.

Ipse eorum opinionibus accedo, qui "Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, et sinceram, et tantum sui similem gentem exstitisse" arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora, et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam coelo solove adsueverunt.

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda: humidior, qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit: satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera: ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis: numero gaudent: eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quae humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant

veterem, et diu notam, Serratos, Bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas* gerunt, angusto et brevi ferro, sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent: et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant: nudi, aut sagulo leves: nulla cultus jactatio: scuta tantum[1] lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricae: vix uni alterive cassis, aut galea. Equi non formâ, non velocitate conspicui: sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. In rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos, ex omni juventute delectos, ante aciem locant. Definitur et numerus: *centeni* ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, jam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multique, superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

Reges ex nobilitate; duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita, aut libera potestas: et duces ex-

[1] Scuta tantum] Scuta Germanorum *immensa*, id est magnitudine corporis, lectissimis coloribus fucata. Haec prima virtutis, deinde nobilitatis, insignia: inde, labentibus saeculis, Heraldicae artis, quam dicimus "*Coat of Arms*" origo Privatorum scuta coloribus tantum distincta, principes ad decus, et ad tutamen (nam difficilius penetrabantur) animalium effigies scutis addebant.

[2] Germani appellavere vicos suos *Hunderte*. Inde originem sumpsit Anglorum *Hundred*.

emplo, potius quam imperio; si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum, neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: non quasi in poenam, nec ducis jussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt: effigiesque, et signa quaedam, detracta lucis, in proelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates: et in proximo pignora; unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illae numerare, aut exigere plagas pavent. Cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

Memoriae proditur quasdam acies, inclinatas jam, et labantes, a feminis restitutas, constantia precum, et objectu pectorum, et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quinetiam sanctum aliquid, et providum putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus, sub divo Vespasiano, Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam, et compluris alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent deas.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui, certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum et Isidi sacrificat. Unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnae figuratum, docet advectam religionem. Ceterum, nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

Auspicia, sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex: virgam, frugiferae arbori decisam, in surculos amputant, cosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: mox, si publice consultatur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliae, precatus deos, coelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundum impressam ante notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla, de eadem re, in eumdem diem, consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces, volatusque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri: publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi, et nullo mortali opere contacti; quos, pressos sacro curru, sacerdos, ac rex, vel princeps civitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt: victoria hujus, vel illius, pro praejudicio accipitur.

De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes; ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.[1] Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur: nam

[1] Pertractentur] Insignem hunc locum et in arte politica summum tractat Montesquius; De Legibus. vi. 11. Tale libertatis et auctoritatis temperamentum Germanicis in sylvis fuisse repertum miratur; et Anglos inde hausisse politicam imperii sui formam docet. Illam a Tacito expressam laudatamque vide Annal iv. 33. "Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt; delecta ex his et consociata reipublicae forma, laudari facilius quam evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest."

agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut jussi conveniunt, sed et alter, et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi jus est, imperatur. Mox rex, vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

Licet apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos, et imbelles, et corpore infames, coeno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis, pro modo, poena: equorum pecorumque numero convicti multantur: pars multae regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant: haec apud illos toga, hic primus juventae honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis adsignant. Ceteri robustioribus ac jam-

pridem probatis aggregantur: nec rubor inter comites aspici. Gradus quinetiam et ipse comitatus habet, judicio ejus, quem sectantur: magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus; et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant.

Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae ejus adsignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant: comites pro Principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare: [1] exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulae, et quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes, et vulnera mereri: pigrum quinimmo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

[1] Exigunt enim.] Inde originem juris clientelaris, *Vassallage*, non immerito repetit Montesquius, xxx. 3. Tunc quidem bellator princeps, bellatrici nobilitati equum, frameam, cibos dabat. Deinde, orta cupiditate, data pecunia, demum praedia, quae primum beneficia tantum fuere, postea hereditaria; tunc dicta sunt *Fiefs*. Unde leges, quae maxime viguerunt, *The Feudal Laws*.

Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus, et penatium, et agrorum cura feminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent: mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam, et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus, vel armentorum, vel frugum, quod, pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae, torquesque. Jam et pecuniam accipere docuimus.

Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos, aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi, et citra speciem, aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinunt terra, ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorumi mitetur. Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: et, si quando hostis advenit, aperta populatur; abdita autem et defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. Cetera intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores ex-

quisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus; nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos: sed et proxima pars pectoris patet.

Quamquam severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris: nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves, et frenatum equum, et scutum cum framea, gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus corruptae. Literarum secreta viri, pariter ac feminae, ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, et maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam, coram propinquis, expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non

opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi, *saeculum* vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe voteque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera juvenum venus: eoque inexhausta pubertas: nec virgines festinantur; eadem juventa, similis proceritas: pares validaeque miscentur: ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem, honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt; tamquam ii, et animum firmius, et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major adfinium numerus, tanto gratiosior senectus: nec ulla orbitatis pretia.

Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quam amicitias, necesse est: nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum; quia periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem. Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mor-

talium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt: nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris: et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus: sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.

Victus inter hospites comis. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti, cibum capiunt: separatae singulis sedes, et sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus saepe ad convivia, procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos rixae, raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis, et jungendis adfinitatibus, et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant; tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentia joci. Ergo detecta et nuda omnium mens, postera die retractatur; et salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.

Potui humor ex hordeo aut frumento, in quamdam similitudinem vini corruptus. Proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim, non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.

Genus spectaculorum unum, atque in omni coetu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter

gladios se, atque infestas frameas, saltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem: non in quaestum tamen, aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate et de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi *fidem* vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

Ceteris servis, non, in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, injungit: et servus hactenus paret. Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum, ac vinculis et opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune. Libertini non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros, impares libertini libertatis argumentum sunt.

Fenus agitare, et in usuras extendere, ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri, pro numero cultorum, ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur: facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant; et superest ager: nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, et prata separent, et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt spe-

cies: hiems, et ver, et aestas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

Funerum nulla ambitio: id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorumdam igni et equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est: viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Julius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quominus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, et nulla regnorum potentia divisas? Igitur inter Hercyniam silvam, Rhenumque et Moenum amnes, Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc *Boiemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses* conditoris sui nomine vocentur,

origine erubescunt, transgressi olim, et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, et inopia audax, dubiae possessionis solum occupavere. Mox limite acto, promotisque praesidiis, sinus imperii, et pars provinciae habentur.

Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paullatimque rarescunt: et Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant.

Alios ad proelium ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

Et aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste caeso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque "tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus" ferunt. Ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti), velut vinculum, gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati: omnium penes hos initia pugnarum: haec prima semper acies, visu nova. Nam, ne in pace quidem, vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur: prodigi alieni, contemptores sui: donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri, super solitum bellorum decus, equestris disciplinae arte praecellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, haec juvenum aemulatio, perseverant senes: inter familiam, et penates, et jura successionum, equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine,

seu favore quodam erga nos deorum: nam ne spectaculo quidem proelii invidere: super LX millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando, urgentibus imperii fatis, nihil jam praestare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini, et Chasuari cludunt, aliaeque gentes haud perinde memoratae. A fronte Frisii excipiunt. "Majoribus minoribusque Frisiis" vocabulum est, ex modo virium: utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, et Romanis classibus navigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illa tentavimus: et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se, simul atque in Herculem, inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire.

Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri: sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per injurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

In latere Chaucorum Cattorumque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt: idque jucundius, quam tutius fuit: quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita, qui olim "boni aequique Cherusci," nunc "inertes ac stulti" vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent.

Eumdem Germaniae situm proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens: veterisque famae late vestigia manent, utraque ripa castra, ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, et tam magni exercitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum Urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo, si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur: tandiu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio, multa invicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae, Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani, Carbone, et Cassio, et Scauro Aurelio, et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones, etiam Caesari abstulerunt: nec impune C. Marius in Italia, divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum

hibernis, etiam Gallias affectavere: ac, rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt.

Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum Tencterorumve, gens: majorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune *Suevi* vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis; sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod saepe accidit) imitatione, rarum, et intra juventae spatium; apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso solo vertice religant: principes et ornatiorem habent: ea cura formae, sed innoxiae. Neque enim, ut ament amenturve; in altitudinem quamdam et terrorem, adituri bella, compti, ut hostium oculis, ornantur.

"Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum" Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine, celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem numinis prae se ferens: si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

Contra Longobardos paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Rendigni deinde; et Aviones, et Angli, et Varini, et Eudoses, et

Suardones, et Nuithones, fluminibus aut silvis muniuntur: nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, id est, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum, veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca, quaecumque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat: mox vehiculum et vestes, et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit id, quod tantum perituri vident.

Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. Propior (ut quo modo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia: passim et sine custode transeunt: et, cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos, villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt. Praecipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio pergitur. Marcomannis Quadisque, usque ad nostram memoriam, reges manserunt, ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: jam et externos pa-

tiuntur. Sed vis et potentia regibus, ex auctoritate Romana: raro armis nostris, saepius pecunia juvantur.

Nec minus valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii: terga Marcomannorum, Quadorumque claudunt: e quibus Marsigni et Burii sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos; et quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatae, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt: Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt: omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus, et vertices montium jugumque, insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimae gentes agunt: ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquae religionis lucus ostenditur. Praesidet sacerdos muliebri ornatu: sed "deos, interpretatione Romana, Castorem Pollucemque" memorant. Ea vis numini: nomen *Alcis:* nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Ceterum Arii, super vires, quibus enumeratos paullo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora: atras ad proelia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi, in omnibus proeliis, oculi vincuntur. Trans Lygios, Gothones regnantur, paullo jam adductius, quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii, et Lemovii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga reges obsequium.

Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque [1] classibus valent: forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit: nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi: nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt: enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere, regia utilitas est.

Trans Suionas, aliud mare pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides; quod extremus cadentis jam Solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper immergentis audiri, formasque deorum, et radios capitis aspici, persuasio adjicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris litore Æstiorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur: insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis, omnique tutela: securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta, ceterosque fructus, patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. Sed et mare scrutantur; ac soli omnium succinum, quod ipsi *Glesum* vocant, inter vada, atque in ipso litore, legunt. Nec, quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum comper-

[1] Classibus valent.] Atque ita valent, ut peneseos sit gloria *Juris Nautici*, cujus leges undecimo post Christum natum saeculo primum scriptae sunt in urbe *Wisby*, quae urbs princeps est insulae *Gothland*. Unde illa insula merito appellatur *Oculus maris Baltici*.

tumve. Diu quinetiam, inter cetera ejectamenta maris, jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen: ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas; quia terrena quaedam, atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae, implicata humore, mox durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse, crediderim; quae, vicini Solis radiis expressa atque liquentia, in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem: mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviae finis.

Peucinorum, Venedorumque, et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt: sordes omnium ac torpor: procerum connubiis mixtis, non nihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam, quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt, et scuta gestant, et pedum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles: cubile humus: sola in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros, pariter ac feminas, alit. Passim enim comitantur, partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbri-

umque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera jam fabulosa: "Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum, gerere:" quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

AGRICOLA.

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus, quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores, ut agere memoratu digna pronum, magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio, ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio et Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit: adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc, narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet, illo igne vocem populi Romani, et libertatem senatus, et conscientiam generis humani aboleri, arbitrabantur; expulsis insuper sapientiae professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum: et, sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in li-

bertate esset; ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere.

Nunc demum redit animus; et, quamquam, primo statim beatissimi saeculi ortu,[1] Nerva Caesar[2] res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva[3] Trajanus; nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur adsumpserit: natura tamen infirmitatis humanae, tardiora sunt remedia, quam mala; et, ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo: et invisa primo desidia, postremo amatur. Quid si, per quindecim[4] annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, pron ptissimus quisque saevitia Principis interciderunt? Pauci, et, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus; exemptis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos, per silentium venimus: non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce, memoriam prioris servitutis, ac testimonium praesentium bonorum[5] composuisse. Hic interim liber honori Agricolae, soceri mei, destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus.

[1] Beatissimi ortu.] Beatissimum quidem exortum est saeculum, cum post Domitiani tempora, ejusque actis rescissis, anno Urbis conditae DCCCXLIX imperare coepit Nerva, cujus virtutes Trajanus, Hadrianus, et uterque Antoninus aemulati sunt.

[2] Nerva Caesar.] Cum Nerva mortuus sit anno U. C. DCCCLI, nec DIVVS hic appelletur, patet Vitam Agricolae a Tacito scriptam fuisse anno U. C. DCCCL; immo sub anni finem: jam enim adoptatus fuerat Trajanus: quod contigit, exeunte Octobri, aut incunte Novembri.

[3] Nerva Trajanus.] Ita appellatus est Trajanus, cum a Nerva fuisset adoptatus.

[4] Per quindecim annos.] Quibus imperavit Domitianus.

[5] Composuisse.] Tunc enim non modo Historiarum Annaliumque libros, memoriam prioris servitutis, sed et Nervae Trajanique res, testimonium praesentium bonorum, scribere meditabatur Tacitus.

Cnaeus Julius Agricola, veteri et illustri Forojuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit: quae equestris nobilitas est. Pater Julius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque virtutibus iram Caii Caesaris meritus. Namque Marcum Silanum accusare jussus, et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis: in hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Graeca comitate et provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum. Memoria teneo, solitum ipsum narrare, "se in prima juventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset:" scilicet sublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius, quam caute, appetebat: mox mitigavit ratio et aetas: retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino, diligenti ac moderato duci, adprobavit: electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter, more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter, ad voluptates et commeatus, titulum tribunatus et inscitiam retulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior, magisque in ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensae coloniae, intersepti exercitus: tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta, etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum, et reciperatae provinciae gloria in

ducem cessit; artem et usum et stimulos addidere juveni: intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala.

Hinc ad capessendos magistratus in Urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi junxit: idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit: vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro corruptus est: quamquam et provincia dives, ac parata peccantibus, et proconsul, in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium: nam filium, ante [1] sublatum, brevi amisit. Mox, inter quaesturam, ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum, quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor, et silentium: nec enim jurisdictio obvenerat. Ludos, et inania honoris, modo rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum, electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cujus alterius sacrilegium respublica, quam Neronis, sensisset.

Sequens annus [2] gravi vulnere animum domumque ejus adflixit: nam classis Othoniana, licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit: praediaque ipsa, et magnam patrimonii partem, diripuit,

[1] Sublatum.] Ante susceptum, sublatumque e terra, in qua nuda nudi infantes, recens nati, deponebantur.

[2] Sequens Annus.] U. C. 822. J. C. 69.

quae causa caedis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatus, ac statum urbis Mucianus regebat, admodum juvene Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum, vicesimae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio: ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.

Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius, quam feroci provincia dignum est: temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne increscceret; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis labores modo et discrimina; mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu praefecit: nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem et ducem, ut minister, fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.

Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae in primis dignitatis, administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile justeque agebat. Jam vero tempora curarum remissionumque

divisa: ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona: tristitiam, et arrogantiam, et avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem, deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam saepe boni indulgent, ostentanda virtute, aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores: et vincere inglorium, et atteri sordidum, arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari; nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando et elegit. [1] Consul egregiae tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est, adjecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque, multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingeniive referam; sed quia tum primum perdomita est: itaque, quae priores nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in Orientem Germaniae, in Occidentem Hispaniae obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: Septemtrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae [2] Livius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi auctores, oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere: et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa: sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi ma-

[1] Consul.] Anno u. c. 830. j. c. 77.
[2] Livius.] Libro cv. qui periit.

ris tunc primum Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas [1] Orcadas vocant, invenit, domuitque: dispecta est et Thule, quam hactenus nix, et hiems abdebat: sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent: ne ventis quidem perinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum; et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere hujus operis est, ac multi retulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et jugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

Ceterum, Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus, Germanicum originem adseverant. [2] Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse, fidem faciunt. Proximi Gallis, et similes sunt: seu durante originis vi; seu, procurrentibus in diversa terris, positio coeli corporibus habitum dedit: in universum tamen aestimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus: in deposcendis periculis eadem audacia; et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido: plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit: nam, Gallos quoque in bellis floruisse, accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt.

[1] Orcadas.] *Orkney islands.* Thule.] *Shetland islands.*
[2] Silurum.] Qui agrum nunc appellatum *South Wales*, habitabant.

In pedite robur: quaedam nationes et curru proeliantur: honestior auriga, clientes propugnant: olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus, ad propulsandum commune periculum conventus: ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Coelum crebris imbribus ac nebulis foedum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram: [1] nox clara, et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. "Quod si nubes non officiant, aspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire" adfirmant: scilicet extrema et plana [2] terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras, infraque coelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque, et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum: tarde mitescunt, cito proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum, coelique. Fert Britannia aurum, et argentum, et alia metalla, pretium victoriae: gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur, nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout [3] expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni delectum, ac tributa, et injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriae absint: has aegre tolerant, *jam domiti ut pareant, nondum ut serviant.* Igitur primus omnium Romanorum divus Julius

[1] Brevis.] Certe solstitio in extrema parte Britanniae, ubi polus elevatur 58 1-2 gradibus, nox est clara et brevissima, ita ut vel per noctem aspiciatur Solis fulgor, (crepusculum) unde Solem non occidere et surgere, sed transire, adfirmabant.

[2] Terrarum.] In hoc errat Tacitus, cum crepusculi rationem explicare pergit.

[3] Expulsa sunt.] Nempe fluctibus.

cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in rempublicam versa Principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. "Consilium" id divus Augustus vocabat, Tiberius "praeceptum." Agitasse Caium Caesarem de intranda Britannia, satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, et adsumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit: domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

Consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae: addita insuper veteranorum colonia: quaedam civitates Cogiduno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatisque praesidiis: quorum fiducia [1] Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, adgressus, terga occasioni patefecit.

Namque, absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, et interpretando accendere. "Nihil profici patientia, nisi ut graviora, tamquam ex facili tolerantibus, imperentur: singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi;

[1] Monam Insulam] *Isle of Anglesey.* J. Caesaris Mona est alia, *Isle of Man.*

e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret: aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subjectis exitiosam: alterius manus, centuriones alterius, vim et contumelias miscere: nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum: in proelio fortiorem esse, qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, injungi delectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse jugum; et flumine, non Oceano, defendi: sibi patriam, conjuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse: recessuros, ut divus Julius recessisset, modo virtutes majorum suorum aemularentur; neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, majorem constantiam, penes miseros esse. Jam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: jam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porro in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere."

His atque talibus invicem instincti, Boudicea, generis regii femina, duce, (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum: ac, sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis: nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paullinus, cognito provinciae motu, propere subvenisset, amissa Britannia foret: quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, et propius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera, arroganter in deditos, et, ut suae quoque injuriae ultor, durius consuleret; missus Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior: et, delictis hostium novus, eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus, nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit.

Trebellius segnior, et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus: et interventus civilium armorum praebuit justam segnitiae excusationem: sed discordia laboratum, cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox praefuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem: haec seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus, et nullis delictis invisus, caritatem paraverat loco auctoritatis.

Sed, ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit; magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes: et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, [1] Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, adgressus: multa proelia, et aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et, cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinus, vir magnus, quantum licebat; validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus.

Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media jam aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites, velut omissa expeditione, ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. [2] Ordovicum civitas, haud multo ante adventum ejus, alam, in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri.

[1] Brigantum.] Brigantes Angliae comitatus Septemtrionales habitabant.
[2] Ordovicum civitas.] *North-Wales.*

Tum Agricola, quamquam transacta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit: contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem: caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae, ac, prout prima cessissent, fore universa; Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi usus, quo simul seque, et arma, et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem, aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola, prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est: sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si injuriae sequerentur, causas bellorum statuit exscindere. A se suisque orsus, primam domum suam coercuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei: non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus centurionum milites adscire, sed opti-

mum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse: officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, cum peccassent. Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae, in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur: namque per ludibrium adsidere clausis horreis, et emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur: devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

Haec primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quae vel incuria, vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum timebatur. Sed, ubi [1] aestas advenit, contracto exercitu, multus in agmine, laudare modestiam, disjectos coercere: loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur: atque, ubi satis terruerat, parcendo rursus inritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars inlaçessita transierit.

Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta: namque, ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent; hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, et castigando segnes: ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo

[1] Æstas.] u. c. 832. j. c. 79.

linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga: paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos "humanitas" vocabatur, cum pars servitutis esset.

Tertius expeditionum [1] annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus: qua formidine territi hostes, quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi: ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones: nam, adversus moras obsidionis, annuis copiis firmabantur: ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, inritis hostibus, eoque desperantibus, quia, soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme juxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat bonis comis, ita adversus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat: secretum et silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.

Quarta aestas obtinendis, quae percurrerat, insumpta: ac, si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum praesidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

[1] Tertius ex. annus.] v. c. 833. j. c. 80.

Quinto expeditionum anno, nave prima transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simulac prosperis proeliis domuit: eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis, quam ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum coelumque, et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt: melius aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

Ceterum aestate, qua sextum officii [1] annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium, et infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit: quae, ab Agricola primum adsumpta in partem virium, sequebatur egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum impelleretur, ac saepe iisdem castris pedes, equesque, et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent: ac modo "silvarum et montium profunda," modo "tempestatum ac fluctuum adversa," hinc "terra et hostis," hinc "auctus Oceanus," militari jactantia comparentur. "Britannos" quoque, ut ex captivis audiebatur, "visa classis obstupefaciebat, tamquam, aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur." Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, majore fama, uti mos

[1] Sextum officii annum.] U. C. 836. A. C. 83.

est de ignotis, "oppugnasse ultro," castella adorti, metum, ut provocantes, addiderant: "regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius, quam pellerentur," ignavi specie prudentium admonebant: cum interim cognoscit, "hostes pluribus agminibus inrupturos." Ac, ne, superante numero, et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio, universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus, inrupere. Jamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem: et propinqua luce fulsere signa: ita ancipiti malo territi Britanni: et Romanis redit animus; ac, securi pro salute, de gloria certabant: ultro quinetiam erupere: et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur: quod, nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

Cujus constantia ac fama ferox exercitus, "nihil virtuti suae invium; penetrandam Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniae terminum, continuo proeliorum cursu," fremebant: atque illi, modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant: iniquissima haec bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quominus juventutem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent: atque ita inritatis utrimque animis discessum.

Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta, et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui, ad tradendam disciplinam immixti manipulis, exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, ascendere: et, uno remigrante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore, ut miraculum, provehebantur: mox, hac atque illa rapti, et cum plerisque Britannorum, sua defensantium, proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos, vescerentur: atque, ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt: ac fuere, quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casus inlustravit. Initio aestatis Agricola, domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit. Quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia erat.

Igitur, praemissa classe, quae, pluribus locis praedata, magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos, et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem jam hostes insederant. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum adspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis juventus, et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes: cum, inter plures duces, virtute et genere praestans,

nomine [1] Calgacus, apud contractam multitudinem, proelium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

"Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana: ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani: quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris: raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur: si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens, satiaverit: soli omnium, opes atque inopiam pari affectu concupiscunt: auferre, trucidare, rapere falsis nominibus, *imperium;* atque, ubi solitudinem faciunt, *pacem* appellant."

"Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus, alibi servituri, auferuntur: conjuges sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine *amicorum* atque *hospitum* polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam frumentum: corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, inter verbera ac contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt,

[1] Calgacus.] Fortissimi hujus viri oratione nihil praestantius habet tum Graeca, tum Romana antiquitas. Omnes dominationis Romanae artes, vitia omnia, mira arte ac brevitate ibi explicat Tacitus.

atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac, sicut in familia recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est; sic, in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac secretum ipsum, quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Trinobantes, femina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac, nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere: nos integri et indomiti, et libertatem non in praesentia laturi, primo statim congressu non ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit?"

"An eamdem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem, contractum ex diversissimis gentibus, ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi si Gallos, et Germanos, et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes, quam servos, fide et affectu teneri putatis: metus et terror est, infirma vincula caritatis: quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut alia est: paucos numero, circum trepidos ignorantia, coelum ipsum, ac mare, et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus, et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: agnoscent Britanni suam causam: recordabuntur Galli priorem libertatem: de-

serent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et injuste imperantes, aegra municipia et discordantia: hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla, et ceterae servientium poenae, quas in aeternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, et majores vestros, et posteros cogitate."

Excepere orationem alacres, et barbari moris cantu, et fremitu, clamoribusque dissonis. Jamque agmina, et armorum fulgores, audentissimi cujusque procursu: simul instruebantur acies: cum Agricola, quamquam laetum, et vix munimentis coercitum militem, accendendum adhuc ratus, ita disseruit: "Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis: tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae, non fama, nec rumore, sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia, et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes, montesve, et flumina fatigarent, fortissimi cujusque voces audiebam, quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt e latebris suis extrusi: et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam, ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior; et incolumitas ac decus, eodem loco sita sunt:

nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse."

"Si novae gentes atque ignota acies constitisset; aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis adgressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi; ideoque tamdiu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur; sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt; reliquus est numerus ignavorum et metuentium: quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi: res et extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem; adprobate reipublicae numquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut causas rebellandi."

Et, adloquente adhuc Agricola, militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia, cornibus adfunderentur: legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat, ita ut primum agmen aequo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent: media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et "arcessendas" plerique "legiones" admonebant, promptior in spem, et firmus adversis, dimisso equo, pedes ante vexilla constitit.

Ac primo congressu eminus certabatur: simul constantia, simul arte Britanni, ingentibus gladiis, et brevibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batavorum cohortes, ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent: quod et ipsis vetustate militiae exercitatum, et hostibus inhabile parva scuta et enormes gladios gerentibus: nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum, et in arcto pugnam non tolerabant. Igitur, ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, et tractis, qui in aequo obstiterant, erigere in colles aciem coepere; ceterae cohortes, aemulatione et impetu commistae, proximos quosque caedere: ac plerique semineces, aut integri, festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae fugere, covinarii peditum se proelio miscuere: et, quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus, et inaequalibus locis haerebant: minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum aegre diu stantes, simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos, aut obvios incursabant.

Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim, et circumire terga vincentium coeperant: ni idipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum: transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae, aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum pauciori-

bus terga praestare, quidam inermes ultro ruere, ac se morti offerre. Passim arma, et corpora, et laceri artus, et cruenta humus: et aliquando etiam victis ira virtusque: postquam silvis appropinquarunt, collecti, primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola, validas et expeditas cohortes indaginis modo, et, sicubi arctiora erant, partem equitum, dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari, et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere: finis sequendi nox et satietas fuit: caesa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere; in queis Aulus Atticus, praefectus cohortis, juvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram ultro incendere: eligere latebras, et statim relinquere: miscere invicem consilia aliqua, dein separare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari: satisque constabat, saevisse quosdam in conjuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius: quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta jam aestate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi, acceptis obsidibus, praefecto classis "circumvehi Britanniam" praecepit: datae ad id vires, et praecesserat terror: ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et

simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde, proximo latere Britanniae lecto, omnis redierat.

Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum jactantia epistolis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra Principis attolli: frustra studia fori, et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: et cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni Imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit, reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

Igitur "triumphalia ornamenta, et illustris statuae honorem, et quidquid pro triumpho datur," multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet; addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, et majoribus reservatam. Credidere plerique, libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum praecepto, ut, si in Britannia foret, traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse: sive verum istud, sive ex ingenio Principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac, ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in Urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit: ex-

ceptusque brevi osculo, et nullo sermone, turbae servientium immixtus est. Ceterum, ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus; adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola, quaererent famam, pauci interpretarentur.

Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est: causa periculi non crimen ullum, aut querela laesi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps, et gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt reipublicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque, et Germania Pannoniaque, temeritate aut per ignaviam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti: nec jam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita, cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, et expertum bellis animum, cum inertia et formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore, pronum deterioribus Principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam praeceps agebatur.

Aderat jam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et, occiso Civica nuper, nec Agricolae consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam, cogitationum Principis periti, qui, "iturusne esset in provinciam," ultro Agricolam interrogarent: ac primo occultius "quietem et otium" laudare, mox "operam suam in adprobanda excusatione" offerre: postremo non jam obscuri, suadentes simul

terrentesque, pertraxere ad Domitianum: qui, paratus simulatione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et, cum adnuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii invidia: salarium tamen, proconsulari solitum offerri, et quibusdam a seipso concessum, Agricolae non dedit: sive offensus, non petitum; sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est, odisse, quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram, et, quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur: quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

Finis vitae ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque, et hic aliud agens populus, et ventitavere ad domum, et per fora, et circulos locuti sunt: nec quisquam, audita morte Agricolae, aut laetatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, "veneno interceptum." Nobis nihil comperti adfirmare ausim: ceterum, per omnem valetudinem ejus, crebrius, quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi, et medicorum intimi venere: sive cura illud, sive inquisitio erat. Supremo quidem die, momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente, sic accelerari, quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus jam odii, et qui facilius dissimularet gaudium, quam metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum, velut honore judicioque: tam caeca et

corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem, nisi malum Principem.

Natus erat Agricola, Caio Caesare, tertium consule, Idibus Juniis: excessit sexto et quinquagesimo[1] anno, decimo Calendas Septembres, Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit: nihil metus in vultu: gratia oris supererat: bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat; et consularibus ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant: filia atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam, sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce, ac Principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur; ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo, et velut uno ictu, rempublicam exhausit.

Non vidit Agricola obsessam curiam, et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Bebius jam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici, Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos, jussitque scelera, non specta-

[1] Sexto et quinquagesimo anno.] Emendandum, *quarto et quinquagesimo.* Natus est enim Agricola anno U. C. 793. J. C. 40. Excessit U. C. 846. J. C. 93.

vit. Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cum suspiria nostra subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis: ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam Principi donares. Sed mihi filiaeque, praeter acerbitatem parentis crepti, auget moestitiam, quod adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit: excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus es. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore, superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrymis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae: placide quiescas; nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio, et muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas est: admiratione te potius, temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, *similitudine decoremus*. Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant; famamque ac figuram animi magis, quam corporis, complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore, aut aere finguntur: sed, ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna: quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus

possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet, Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit.[1]

[1] Superstes erit.] Non modo superstes erit Agricola; sed ejus vita absolutissimum laudationis exemplar semper habebitur.

M. F. QUINTILIANUS.

Marcus Fabius Quintilianus ex Tarraconensis Hispaniae oppido Calagurri, post Neronis necem, adolescens admodum a Galba Romam perductus, postquam cum magna gloria in foro versatus erat, Rhetoricam docuit per annos viginti; quibus elapsis, otio et quiete studiis suis circa A. C. 88. impetrata, sub Domitiano scripsit, qui sororis suae nepotem ejus delegaverat curae.

Extant ejus Libri duodecim *De Institutione Oratoria*, ad Marcellum Victorium, ejus amicum, quibus *Epistola ad Tryphonem Bibliopolam*, qui editionem maturari postularat, praemittitur. Hoc opus Fabius in futuros usus filii sui paraverat: sed hic nondum dimidio absoluto, decennis obiit, quod incredibiliter dolet pater in praefatione ad Librum sextum.

In his libris *Institutionum* pulcherrimis, accuratissime Fabius et copiosissime futurum oratorem instruit, non praecepta tantum proponens, verum ab utero matris susceptum infantem limare incipiens, format in Oratoris perfecti substantiam. Elementa enim progressum, rationem, usum, exercitationem ponit ante oculos, non paucis adjectis, quae Cicero vel praetermisit vel obiter attigit: quod genus sunt de ratione

concitandorum affectuum, de generibus et usu sententiarum, de modis amplificandi, de inventione propositionum, de partiendis iisdem ac digerendis, de transmigratione ac concursu statuum, de modo legendi, imitandi, scribendi. Et *Lutheri* nostri judicio..... *Quintilianus unus est, qui optimos reddit adolescentes, imo viros. Hunc unum rogo ante omnia ne derelinquas..... Ego prorsus Quintilianum fere omnibus auctoribus praefero, qui simul et instituit, simul quoque eloquentiam monstrat, id est verbo et re docet quam felicissime.*

Fabricii Bib. Lat. ii. 256.

M. F. QUINCTILIANUS

TRYPHONI BIBLIOPOLAE

SALUTEM.

EFFLAGITASTI quotidiano convicio, ut libros, quos ad Marcellum meum de Institutione oratoria scripseram, jam emittere inciperem: nam ipse eos nondum satis opinabar maturuisse: quibus componendis, uti scis, paulo plus quam biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi: quod tempus non tam stilo, quam inquisitioni instituti operis prope infiniti, et legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est; usus deinde Horatii consilio, qui in arte poetica suadet, ne praecipitetur editio, nonumque prematur in annum, dabam iis otium, ut refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos tamquam lector perpenderem. Sed si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, permittamus vela ventis, et oram solventibus bene precemur. Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.

M. FABII QUINCTILIANI

INSTITUTIONES ORATORIÆ.

AD MARCELLUM VICTORIUM

PROOEMIUM.

Post impetratam studiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum a me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus: quod auctores utriusque linguae clarissimos non ignorabam multa, quae ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta posteris reliquisse. Sed qua ego ex causa faciliorem mihi veniam meae deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis: quod inter diversas opiniones priorum, et quasdam etiam inter se contrarias, difficilis esset electio: ut mihi, si non invenienda nova, at certe judicandi de veteribus, injungere laborem non injuste viderentur. Quamvis autem non tam me vinceret praestandi, quod exigebatur, fiducia, quam negandi verecundia: latius se tamen aperiente materia, plus quam imponebatur oneris, sponte suscepi; simul ut pleniori obsequio demererer amantissimos mei; simul ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem. Nam ceteri fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae, summam inde eloquentiae manum imponerent: sive contemnentes tanquam parva, quae prius discimus,

studia: sive non ad suum pertinere officium opinati, quando divisae professionum vices essent; seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Ego, cum nihil existimem arti oratoriae alienum, sine quo fieri oratorem non posse fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis perveniri; ad minora illa, sed, quae si negligas, non sit majoribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter, quam si mihi tradatur educandus orator, studia ejus formare ab infantia incipiam. Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, non propter haec modo (quanquam sunt magna) dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore judicabamus; sed quod erudiendo nato tuo, cujus prima aetas manifestum iter ad ingenii lumen ostendit, non inutiles fore libri videbantur, quos ab ipsis discendi velut incunabulis, per omnes, quae modo aliquid oratori futuro conferant, artes, ad summam ejus operis perducere destinabamus. Atque eo magis, quod duo jam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricae, neque editi a me, neque in hoc comparati. Namque alterum, sermone per biduum habito, pueri, quibus id praestabatur, exceperant: alterum pluribus sane diebus, quantum notando consequi poterant, interceptum, boni juvenes, sed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adjecta, omnia vero compositiora, et quam nos poterimus elaborata. Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest; ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam: cum

vir ille vere civilis, et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profecto, quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam, quae philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia, ceterisque similibus sit disserendum, et adeo, ut vix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua quaestio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda: dubitabitur, ubicunque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse praecipuas? Fueruntque haec, ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes, atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam ut primum lingua esse coepit in quaestu, institutumque eloquentiae bonis male uti, curam morum, qui diserti hebebantur, reliquerunt. Ea vero destituta, infirmioribus ingeniis velut praedae fuit. Inde quidam, contemto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitae leges regressi, partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt: nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiae studiosi vocarentur: quod neque summi imperatores, neque in consiliis rerum maximarum, ac totius administratione reipublicae praeclarissime versati, sibi unquam vindicare sunt ausi. Facere enim optima, quam [1] promittere, maluerunt. Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et ut praeceperunt, etiam vixisse, facile concesserim:

[1] Promittere.] Ad totius vitae institutum, et eam, quam vulgus etiam *professionem* vocat, hanc vocem pertinere observetur: professorem etiam *sapientiae* hic non tam ad publicam docendi provinciam, quam ad institutum vitae referri, propter hodiernum usum vocis admonendum est.

nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum, et tristitiam, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus [1] praetendebant. Nunc autem quae velut propria philosophiae asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim non de justo, aequo, ac bono, modo non et vir pessimus loquitur? quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quaerit? nam verborum proprietas ac differentia, omnibus, qui sermonem curae habent, debet esse communis. Sed ea et sciet optime et eloquetur orator: qui si fuisset aliquando perfectus, non a philosophorum scholis virtutis praecepta peterentur; nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriae artis, meliorem praesertim, occupaverunt, et veluti nostrum reposcere: non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus. Sit igitur orator vir talis, qualis vere sapiens appellari possit: nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam sint qui dissentiant, satis non est) sed etiam scientia, et omni facultate dicendi: qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis ad summa tendendum est, quod fecerunt plerique veterum, qui, etsi nondum quenquam sapientem repertum putabant, praecepta tamen sapientiae tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet. Quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quam qui praesumta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem illa, verum operi, quod instituimus, necessaria, praeteribo. Nam liber primus ea, quae

[1] Praetendebant.] Ut velum, quo minus, quam intra turpes essent, noscerentur. Respicitur ad edictum Domitiani, cui alias etiam adulatur Fabius, de ejiciendis urbe atque Italia philosophis.

sunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, et quae de ipsa rhetoricae substantia quaeruntur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni (nam huic et dispositio subjungitur) quatuor elocutioni (in cujus partem memoria ac pronuntiatio veniunt) dabuntur. Unus accedet, in quo nobis orator ipse informandus est, ut qui mores ejus, quae in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiae genus, quis agendi debeat esse finis, quae post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, disseramus. His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, dicendi ratio, quae non eorum modo scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, et (ut sic dixerim) jus ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, vires augere eloquentiae possit. Nam plerumque nudae illae artes, nimia subtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt: quae ut esse, et adstringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicut plerique, sed quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest, prosequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est, nihil praecepta atque artes valere, nisi adjuvante natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt et alia ingenita quaedam adjumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor: quae si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari: sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenii studiique corrumpant: sicut et [1] haec ipsa sine

[1] Haec ipsa.] Cave ad proxima referas, sed ad *congenita*, quae paullo ante dixit, *adjumenta*.

doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa et continua exercitatione, per se nihil prosunt.

Igitur nato filio pater spem de illo primum quam optimam capiat; ita diligentior a principiis fiet. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus vim percipiendi quae tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra, plures reperias et faciles in excogitando, et ad discendum promtos; quippe id est homini naturale: ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia: unde origo animi coelestis creditur. Hebetes vero et indociles non magis secundum naturam homines eduntur, quam prodigiosa corpora, et monstris insignia: sed hi pauci admodum; fuerit argumentum, quod in pueris elucet spes plurimorum, quae dum emoritur aetate, manifestum est, non naturam defecisse, sed curam. Praestat tamen ingenio alius alium; concedo: sed ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio est: recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et haec ipsa magis pertinaciter haerent, quae deteriora sunt; nam bona facile mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia? Non adsuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni, qui dedis-

cendus sit. In parentibus vero quamplurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor; nam Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus: et Laelii filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam dicitur: et Quinti Hortensii filiae oratio apud Triumviros habita, legitur non tantum in sexus honorem.[1] Nec tamen ii, quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant: sed sint propter hoc ipsum ad cetera magis diligentes. De pueris, inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit. De paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim: aut, se non esse eruditos sciant; nihil enim pejus est iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. Nam et cedere praecipiendi peritis indignantur, et velut jure quodam potestatis, qua fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim saevientes, stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Alexandri paedagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quae robustum quoque et jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam, etiam cum ei formando nihil defuerit; praeterea plura ac difficiliora superesse. Nam et studio perpetuo, et praestantissimis praeceptoribus, et pluribus disciplinis opus est. Quapropter praecipienda sunt optima: quae si quis gravabitur, non rationi defuerit,[2] sed homini. Si

[1] Honorem.] Hoc est, cum venia, ut subinde cogitemus, si per se magni aestimanda non sit, tamen vel hoc nomine adversione animi nostri dignam esse, quod a femina scripta sit; non ita, inquam, legitur oratio Hortensiae; sed ita, ut summorum virorum libri, uti doctiores inde melioresque recedamus.

[2] Rationi defuerit.] Si quis optima illa, quae praecipimus et praecipiemus, gravabitur, hoc est, suscipere in se facereque cunctabitur, vel recusa-

tamen non continget, quales maxime velim nutrices pueros habere; paedagogus at unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus, qui, si qua erunt ab his praesente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id, quod prius dixi, bonum esse; hoc, remedium. A Graeco sermone puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se praebet: simul quia disciplinis quoque Graecis prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt. Non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Graece aut discat, sicut plerisque moris est; hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, et sermonis; cui cum Graecae figurae assidua consuetudine haeserint, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire. Ita fiet, ut cum aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat. Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere, et laborem pati possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt; nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse hujus poetae. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus; nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. Cur autem non pertineat ad literas aetas, quae ad mores jam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor, tempore vix tantum

bit adeo; ille non rationi nostrae ac disciplinae defuerit, eamque absurda postulare convincet, aut regulam nostram exceptione exempli sui vitiabit; sed homini, quem erudiendum suscepit, deerit, eique non tantum proderit, quantum praeceptis nostris obsecutus poterat.

effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui id senserunt, videntur non tam discentibus in hac parte, quam docentibus, pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantulumcunque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certe quamlibet parum sit, quod contulerit aetas prior, majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, in summam proficit: et quantum in infantia praesumtum est temporis, adolescentiae acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis praeceptum sit: ne quod cuique discendum est, sero discere incipiat. Non ergo perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quod initia literarum sola memoria constant, quae non modo jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. Nec sum adeo aetatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, et amaritudinem semel praeceptam etiam ultra rudes annos, reformidet. Lusus hic sit: et rogetur, et laudetur, et nunquam non scisse se gaudeat; aliquando ipso nolente doceatur alius, [1] cui invideat; contendat interim, et saepius vincere se putet; praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur. Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studiis infantia: et ut corporum mox etiam fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit; ita

[1] Cui invideat.] Caute hic versandum: invidia, detestabile vitium oppugnandum potius machinis omnibus quam alendum. Sed miramur, invidos esse homines, et alienis bonis angi; et de peccato originis conquerimur, cum sedulo id agant non imperitae modo nutrices, sed educatores etiam, a quibus prudentiam majorem expectes, ut invidiam accendant. Quin sanctus ipse Hieronymus, qui in epistolam ad Laetam prima isthaec institutionis elementa fere transtulit, non dubitavit et hoc ponere, *Habeat et in discendo socias quibus invideat, quarum laudibus mordeatur.* An ne accusamus tantos viros, *invidiam* dicamus μισον esse, et aemulationem etiam significare eam quae vitio careat.

futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit, et haesit circa formas literarum; nec si quid discere satis non est, ideo nec necesse est. Quod si nemo reprehendit patrem, qui haec non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea, quae domi suae recte faceret, in publicum promit? Atque eo magis, quod minora etiam facilius minores percipiunt; et ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari, nisi tenera, non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo ejus aetatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia, et a perfectissimo quoque optime tractari, et pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem, (quanquam suus cuique dignus est) pudeatne me in ipsis statim elementis etiam brevia docendi monstrare compendia? Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina et contextum prius quam formas, parvuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur. Quae causa est praecipientibus, ut etiam, cum satis affixisse eas pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu videntur, retroagant rursus, et varia permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. Quapropter optime, sicut hominum, pariter et habitus et nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit. Non excludo autem, id quod est notum, irritandae ad discendum infantiae gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre; vel si quid aliud, quo magis illa aetas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare, jucundum sit. Cum vero jam ductus sequi coeperit, non inutile erit eas tabellae

quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stilus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris, (continebitur enim utrinque marginibus) neque extra praescriptum poterit egredi; et celerius ac saepius sequendo certa vestigia, formabit articulos; neque egebit adjutorio manum suam manu superimposita regentis. Non est aliena res, quae fere ab honestis negligi solet, cura bene ac velociter scribendi. Nam cum sit in studiis praecipuum, quoque solo verus ille profectus, et altis radicibus nixus paretur, scribere ipsum: tardior stilus cogitationem moratur; rudis et confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi, quae ex his transferenda sunt, labor. Quare cum semper et ubique, tum praecipue in epistolis secretis et familiaribus delectabit ne hoc quidem neglectum reliquisse. Syllabis nullum compendium est: perdiscendae omnes: nec, ut fit plerumque, difficillima quaeque earum differenda, ut in nominibus scribendis deprehendantur. Quin immo ne primae quidem memoriae temere credendum: repetere, et diu inculcare, fuerit utilius; et in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam; nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit; tunc ipsis syllabis verba complecti, et his sermonem connectere incipiat. Incredibile est, quantum morae lectioni festinatione adjiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quam possunt audentibus; deinde cum errarunt, etiam iis quae jam sciunt, diffidentibus. Certa sit ergo imprimis lectio, deinde conjuncta; et diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes praecipiunt) et providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt, et, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. Illud non poenitebit curasse, dum scribere

nomina puer (quemadmodum moris est) coeperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et forte occurrentibus perdat. Protinus enim potest interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλωσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere, et inter prima elementa consequi rem, postea proprium tempus desideraturam. Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ii quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur haec memoria in senectutem, et impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, et electos, ex poetis maxime (namque eorum parvis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet. Nam et maxime necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: et ea praecipue firmatur atque alitur exercitatione: et in iis, de quibus nunc loquimur, aetatibus, quae nihil dum ipsae ex se generare queunt, prope sola est, quae juvari cura docentium possit. Non alienum fuerit exigere ab his aetatibus, quo sit absolutius os, et expressior sermo, ut nomina quaedam versusque affectatae difficultatis ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos, quam citatissime volvant. Χαλεποι Graece vocantur; res modica dictu: qua tamen omissa, multa linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

Sed nobis jam paulatim accrescere puer, et exire de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quaestio est, utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiae scholarum, et velut publicis praeceptoribus tradere. Quod quidem cum iis, a quibus clarissimarum civitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus video placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos, qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Hi duas

praecipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant, fugiendo turbam hominum ejus aetatis, quae sit ad vitia maxime prona; unde causas turpium factorum saepe exstitisse utinam falso jactaretur: alteram, quod quisquis futurus est ille praeceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur, quam si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus gravis; nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi videretur. Sed mea quidem sententia juncta ista atque indiscreta sunt; neque enim esse oratorem, nisi bonum virum, judico; et fieri, etiam si posset, nolo; de hac re igitur prius. Corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim: sed domi quoque; adsunt multa ejus rei exempla, tam laesae hercle, quam conservatae sanctissime utrobique opinionis. Natura cujusque totum curaque distat. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi custodiendique in aetate prima pudoris: non minorem flagitiis occasionem secreta praebuerint; nam et esse potest turpis domesticus ille praeceptor: nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. At si bona ipsius indoles, si non caeca ac sopita parentum socordia est: et praeceptorem eligere sanctissimum quemque, (cujus rei praecipua prudentibus cura est) et disciplinam, quae maxime severa fuerit, licet; et nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum, lateri filii sui adjungere, cujus assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur. Facile erat hujus metus remedium. Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus; mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante

palatum eorum, quam os, instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, e manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus; nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt. Nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convivium obscoenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri ante quam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt. *Verum in studiis magis vacabit unus uni.* Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem unum, etiam cum eo, qui in scholis eruditur. Sed etiamsi jungi utrumque non posset, lumen tamen illud conventus honestissimi, tenebris ac solitudini praetulissem. Nam optimus quisque praeceptor frequentia gaudet, ac majore se theatro dignum putat. At vero minores ex conscientia suae infirmitatis haerere singulis, et officio fungi quodammodo paedagogorum non indignantur. Sed praestet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discentis intentio, quae non, ut visus oculorum obtutu continuo, fatigetur? cum praesertim multo plus secreti studia desiderent. Neque enim scribenti, ediscenti, et cogitanti praeceptor assistit: quorum aliquid agentibus, cujuscunque interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper, praeeunte vel interpretante eget; quando enim tot auctorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire possunt etiam quae singulis tradenda sunt: pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. Taceo de partitionibus et declamationibus rhetorum: quibus certe quantuscunque

numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa *praeceptoris, ut coena, minus pluribus sufficit; sed ut sol, universis idem lucis calorisque largitur.* Grammaticus quoque de ratione loquendi si disserat, quaestiones explicet, historias exponat, poemata enarret: tot illa discent, quot audient. At enim emendationi praelectionique numerus obstat. Sit incommodum, (nam quid fere undique placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque praeceptor bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit: et imprimis ea habenda cura est, ut omni modo fiat nobis familiariter amicus: nec officium in docendo spectet, sed affectum; ita nunquam erimus in turba. Nec sane quisquam, literis saltem leviter imbutus, eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendae sint magnae scholae, (cui ne ipse quidem rei assentior, si ad aliquem merito concurritur) non tamen hoc eo valet, ut fugiendae sint omnino scholae; aliud est enim vitare eas, aliud eligere. Et si refutavimus quae contra dicuntur, jam explicemus, quid ipsi sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate et in media reipublicae luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria et velut umbratili vita pallescere.[1] Excitanda mens et attollenda semper est, quae in hujusmodi secretis aut languescit, et quendam velut in opaco situm ducit: aut contra tumescit inani persuasione; necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in Sole, et omnia nova offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias, quae ad

[1] Pallescere.] Non interpretor ex communi significatione, qua dicimus *nulla pallescere culpa*: sed refero ad reconditiorem intellectum, quo ad situm, et corruptionem a quiete, humore admisso, et excluso aere ortam refertur, quem docent praesertim rei rusticae scriptores.

senectutem usque firmissimae durant, religiosa quadam necessitudine imbutae. Neque enim est sanctius, sacris iisdem, quam studiis initiari. Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet, cum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Adde, quod domi ea sola discere potest, quae ipsi praecipientur; in schola, etiam quae aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi; proderit alicujus objurgata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude aemulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse majores. Accendunt omnia haec animos: et licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Non inutilem scio servatum esse a praeceptoribus meis morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant: et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur. Hujus rei judicia praebebantur: ea nobis ingens palmae contentio: ducere vero classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem; ita nec superior successu curam remittebat, et dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, paedagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere possum, contenderim. Sed sicut firmiores in literis profectus alit aemulatio; ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiscipulorum quam praeceptoris jucundior, hoc ipso quod facilior, imitatio est. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendae, quam summam putant, eloquentiae audebunt: proxima amplectuntur magis, ut vites arboribus applicitae, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt. Quod adeo verum est, ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia praeferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit in-

genia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, et ad intellectum audientis descendere. Nam ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: sic animi puerorum quantum excipere possint, videndum est; *nam majora intellectu, velut parum apertos ad percipiendum animos non subibunt.* Utile igitur est habere, quos imitari primum, mox vincere velis; ita paulatim et superiorum spes erit. His adjicio, praeceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum praesentibus, quod illa celebritate audientium instinctos. Maxima enim pars eloquentiae constat animo; hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut [1] organis commovetur: ideoque et laude crescit, et impetu augetur, et aliquid magnum agere gaudet. Est quaedam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere; pudet supra modum sermonis attolli. Et sane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronuntiationem, illum denique animi et corporis motum, sudorem, ut alia praetteream, et fatigationem, audiente uno; nonne quiddam pati furori simile videatur? Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

Tradito sibi puero, docendi peritus ingenium ejus inprimis naturamque perspiciat. Ingenii signum in parvis praecipuum, memoria est. Ejus duplex virtus, facile percipere, et fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque est docilis naturae; sic tamen, ut ea, quae discit, effingat, non habitum forte et incessum, et si quid in pejus notabile est. Non dabit

1 Organis.] Non ineptum videtur ad Hydraulica et Pneumatica organa referri, quae magna machinatione constant, et sonos ingentes edunt.

mihi spem bonae indolis, qui hoc imitandi studio petet, ut rideatur; nam probus quoque inprimis erit ille vere ingeniosus: alioqui non pejus duxerim tardi esse ingenii, quam mali. Probus autem ab illo segni et jacente plurimum aberit. Hic meus, quae tradentur, non difficulter accipiet: quaedam etiam interrogabit: sequetur tamen magis, quam praecurret. Illud ingeniorum velut praeceps genus, non temere unquam pervenit ad frugem. Hi sunt, qui parva facile faciunt: et audacia provecti, quidquid illic possunt, statim ostendunt. Possunt autem id demum, quod in proximo est: verba continuant: haec vultu interrito, nulla tardati verecundia, proferunt; non multum praestant, sed cito; non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur: ut quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt: et imitatae spicas herbulae, inanibus aristis ante messem flavescunt. Placent haec annis comparata: deinde stat profectus, admiratio decrescit. Haec cum animadverterit, prospiciat deinceps, quonam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat; hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit; in hoc desidiam nunquam verebor. Danda est tamen omnibus aliqua remissio: non solum, quia nulla res est, quae perferre possit continuum laborem; atque ea quoque, quae sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete retenduntur: sed quod studium discendi, voluntate, quae cogi non potest, constat. Itaque et virium plus afferunt ad discendum renovati ac recentes, et acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est et hoc signum alacritatis: neque illum tristem, semperque demissum, sperare possum

erectae circa studia mentis fore, cum in hoc quoque, maxime naturali aetatibus illis, impetu jaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatae, aut otii consuetudinem nimiae. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus, cum positis invicem cujusque generis quaestiunculis aemulantur. Mores quoque se inter ludendum simplicius detegunt. Modo nulla videatur aetas tam infirma, quae non protinus quid rectum pravumque sit, discat; tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est, et praecipientibus facillime cedit. Frangas enim citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer: habendumque in animo semper illud Virgilianum:

Adeo in teneris consuescere multum est.

LIB. II. CAP. 2.

DE MORIBUS ET OFFICIIS PRAECEPTORIS.

Ergo cum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit; quorum inprimis inspici mores oportebit; quod ego non ideirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum libro priore: sed quod magis necessariam ejus rei mentionem facit aetas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant, ideoque major adhibenda tum cura est: ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est sum-

mam praestare abstinentiam, nisi disciplinae severitate convenientium quoque ad se mores adstrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur, existimet. Ipse nec habeat vitia; nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemtus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus; nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator: simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius, quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. In emendando quae corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat, quae secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox* alit plenius, praecipueque ejus praeceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant, et verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus. Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exsultandique in laudando licentia: quin etiam juvenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio praeceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitiosissima, quae jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora et theatralis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videntur cura, ac labor, parata, quidquid effuderint, laude. Vultum igitur praeceptoris intueri, tam qui audiunt, debent,

quam ipse qui dicit; ita enim probandă atque improbanda discernent: sic stilo facultas continget; auditione judicium. At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exsultatione conclamant. Id mutuum est, et ibi declamationis fortuna. Hinc tumor et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a praeceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque praeceptores intente ac modeste audiri velint; non enim judicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quae quisque, et quomodo laudet: et placere, quae bene dicet, non suo magis, quam eorum nomine delectetur, qui recte judicabunt. Pueros adolescentibus sedere permixtos, non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque praepositum, modestam habere potest etiam juventutem: tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est; et carendum non solum crimine turpitudinis, verum etiam suspicione. Haec notanda breviter existimavi. Nam ut absit ab ultimis vitiis ipse praeceptor, ac schola, ne praecipiendum quidem credo. Ac si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filii praeceptore non vitet, jam hinc sciat, cetera quoque, quae ad utilitatem juventutis componere conamur, esse sibi, hac parte omissa, supervacua.

CAP. 3.

AN PROTINUS PRAECEPTORI OPTIMO SIT UTENDUM.

Ne illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui, etiam cum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquamdiu detinent: tanquam in-

stituendis artibus magis sit apta mediocritas praeceptoris, cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam, quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis, quae semel insederint, vitiis, difficultas consequatur: cum geminatum onus succedentes premat, et quidem dedocendi gravius, ac prius, quam docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt duplices ab iis, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quam si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex: unus, quod interim sufficere illos minores existimant: et bono sane stomacho[1] contenti sunt: quae quanquam et ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcunque tolerabilis, si ejusmodi praeceptores minus docerent, non pejus: alter ille etiam frequentior, quod eos, qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant praestare hanc inferioribus curam; interim, quia omnino non possint. Ego porro eum, qui nolit, in numero praecipientium non habeo; posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo: primum, quod eum, qui eloquentia ceteris praestet, illa quoque, per quae ad eloquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est: deinde, quia plurimum in praecipiendo valet ratio, quae doctissimo cuique planissima est: postremo, quia nemo sic in majoribus eminet, ut eum minora deficiant; nisi forte Jovem quidem Phidias optime fecit, illa autem, quae in ornamentum operis ejus accedunt, alius melius elaborasset; aut orator loqui nesciet; aut leviores morbos curare non poterit medicus praestantissimus. Quid

[1] Bono stomacho contenti.] Bonum se stomachum habere significant, cum mediocri praeceptore contenti sunt. Nimirum *stomacho* non est casus ab nomine *contenti* rectus, sed absolute ponitur. Venuste ergo Fabius *bono stomacho* esse dicit, qui tam facile contenti sint, nec praeceptores spernant licet valde mediocres.

ergo? non est quaedam eloquentia major, quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego vero confiteor: sed hunc disertum praeceptorem, prudentem quoque, et non ignarum docendi, esse oportebit, submittentem se ad mensuram discentis: ut velocissimus quisque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat, nec procedat ultra, quam comes possit. Quid? si plerumque accidit, ut faciliora sint ad intelligendum, et lucidiora multo, quae a doctissimo quoque dicuntur? Nam et prima est eloquentiae virtus, perspicuitas, et, quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur: ut statura breves, in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur. Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocunque alio cacozeliae genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur; et recto itinere lapsi plerumque devertunt. Erit ergo obscurior etiam, quo quisque deterior. Non excidit mihi, scripsisse me in libro priore, cum potiorem in scholis eruditionem esse, quam domi, dicerem, libentius se prima studia tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum, quae facilior esset, erigere; quod a quibusdam sic accipi potest, tanquam haec, quam nunc tueor, sententia priori diversa sit. Id a me procul aberit; namque ea causa vel maxima est, cur optimo cuique praeceptori sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque melius instituti, aut dicent, quod inutile non sit imitari; aut si quid erraverint, statim corrigentur: at indoctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, et placere audientibus judicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia, quam moribus praestantissimus, qui ad Phoenicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.

CAP. 8.

AN SECUNDUM SUI QUISQUE INGENII DOCENDUS SIT NATURAM.

Virtus praeceptoris haberi solet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorum, et quo quemque natura maxime ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quaedam varietas, nec pauciores animorum paene quam corporum formae. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint. Utile deinde plerisque visum est ita quemque instituere, ut propria naturae bona doctrina foverent, et in id potissimum ingenia, quo tenderent, adjuvarentur: ut si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit praeparandus: ita praeceptorem eloquentiae, cum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita se commodaturum singulis, ut in eo, quo quisque eminet, provehatur: quod et adjuta cura natura magis evalescat; et qui in diversa ducatur, nec in iis, quibus minus aptus est, satis possit efficere: et ea, in quae natus videtur, deserendo faciat infirmiora. Quod mihi (libera enim, vel contra receptas persuasiones rationem sequenti, sententia est) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. Namque erit alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio juris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. Sic discernet haec dicendi magister, quo modo palaestricus

ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis, quae sunt sacrorum certaminum. Verum ei, qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia, quae sunt ejus operis, etiamsi qua difficiliora discenti videbuntur, elaborandum est. Nam et omnino supervacua erat doctrina, si natura sufficeret. An si quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique sunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? aridum atque jejunum non alemus, et quasi vestiemus? Nam si quaedam detrahere necessarium est, cur non sit adjicere concessum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deterendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque quod cessat. An vero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, cum de Ephoro atque Theopompo sic judicaret, *ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse* diceret; aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc paene praecipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit? cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur. Imbecillis tamen ingeniis sane sic obsequendum sit, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod solum possunt, melius efficient. Si vero liberalior materia contigerit, et in qua merito ad spem oratoris simus aggressi, nulla dicendi virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, ceteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis, in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia, quae sunt ejus certaminis. Erit qui ex his aliqua non possit? In id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt haec duo vitanda prorsus; unum, ne tentes quod effici non possit: alterum, ne ab eo, quod quis optime facit, in aliud, cui minus est

idoneus, transferas. At si fuerit qui docebitur, ille quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro providendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis, quam phonasco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat.

CAP. 9.

DE OFFICIO DISCIPULORUM.

Plura de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo: ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament: et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio; nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent: in ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres convenient: emendati non irascentur, laudati gaudebunt: ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles: alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et frustra sparseris semina, nisi illa praemollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia.

CAP. 11, 12, 13.

AN ARTIS DECLAMATIONIS NECESSARIA COGNITIA SIT.

JAM hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent, qui priora omiserunt: quanquam video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere hujusmodi praeceptis eloquentiam putent: sed natura sua, et vulgari modo, et scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram, exemplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus, quid esset σχημα et νοημα, nescire se quidem, sed, si ad rem pertineret, esse in sua declamatione respondit. Alius percontanti, *Theodoreus, an Apollodoreus esset?* Ego, inquit, *parmularius*[1] *sum.* Nec sane potuit urbanius ex confessione inscitiae suae elabi. Porro hi, quia et beneficio ingenii praestantes sunt habiti, et multa etiam memoria digna exclamaverunt: plurimos habent similes negligentiae suae, paucissimos naturae. Igitur impetu dicere se, et viribus uti gloriantur. Nec enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis: sed (cujus rei gratia plenum sit auditorium) sententiis grandibus, quarum optima quaeque a periculo petatur. Quin etiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes,[2] magnum aliquid, quod ultro se of-

[1] Parmularius sum.] Theodorus et Apollodorus noti rhetores, et sectarum principes. *Parmularium* eum esse, qui faveat in theatro atque arena gladiatoribus, observatum. Studia theatri et circi insana fere fuisse constat, favore illo factionum ad rixas, quin vulnera et caedes, nonnunquam progrediente. Hic noster igitur, in arena quidem et circo cui faveat se habere fatetur, de factionibus et studiis rhetorum, parum se laborare.

[2] Tectum intuentes.] Contrahunt quidam hoc in schola vitium, ut dum aestuant, aut laborant vel in respondendo vel in perpetua oratione, oculis ad caelum vel ad lacunar sublatis et ibi fixis, inde videantur devocare velle, quod dicant: idem deinde vitium in suggesta ecclesiarum adferunt, et nonnunquam sanctitatis et elatae ad Deum mentis obtentu tegere student. Nec tamen damnavi im *rectum intuentes*, hoc est rigidis oculis pro se vel terram vel parietem quasi cogitabundi adspicientes.

ferat, [pluribus saepe diebus] exspectantes, aut murmure incerto, velut classico, instincti, concitatissimum corporis motum non enuntiandis, sed quaerendis verbis accommodant. Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant, quibus aliquid diserti subjungendum sit: caque, diu secum ipsi clareque modulati, desperata connectendi facultate, deserunt: et ad alia deinceps, atque inde alia, non minus communia atque nota, devertunt. Qui plurimum videntur habere rationis, non in causas tamen laborem suum, sed in locos intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quaedam ut forte ad manum venere, jaculantur. Unde fit, ut dissoluta et ex diversis congesta oratio cohaerere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quae aliis declamantibus laudata sunt, congerunt. Magnas tamen sententias, et res bonas (ita enim gloriari solent)[1] elidunt. Nam et barbari et servi: et si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

Ne hoc quidem negaverim, sequi plerumque hanc opinionem, ut fortius dicere videantur indocti. Primum vitio male judicantium, qui majorem habere vim credunt ea, quae non habent artem: ut effringere, quam aperire; rumpere, quam solvere; trahere, quam ducere, putant robustius. Nam et gladiator, qui armorum inscius in pugnam ruit; et luctator, qui totius corporis nisu in id, quod semel invasit, incumbit, fortior ab his vocatur: cum interim et hic frequenter suis viribus ipse prosternitur, et illum vehementis impetus excipit adversarii mollis[2] articulus. Sed sunt in hac parte, quae imperitos etiam naturaliter fallant; nam et *divisio*, cum plurimum valeat in causis, speciem virium[3] minuit: et rudia politis majora, et sparsa com-

[1] Elidunt.] *Elidere* est vi quadam extrudere, ut laedas vel illud quod extrudas, vel unde extrudas.

[2] Mollis.] i. e. *Mobilis*.

[3] Minuit.] Qui enim divisit, ille jam docuit auditorem, quod porro expectandum sit; quod si omissa partitio est, nova omnia audientibus, imperitis praesertim, et improvisa accidunt.

positis numerosiora, creduntur. Est praeterea quaedam virtutum vitiorumque vicinia, qua *maledicus* pro *libero*, *temerarius* pro *forti*, *effusus* pro *copioso* accipitur. Maledicit autem ineruditus apertius, et saepius vel cum periculo suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert et ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea, quae dicere ipsi noluissent. Illud quoque alterum, quod est in elocutione ipsa periculum, minus vitat, conaturque perdite: inde evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quaerit quod nimium est: verum et raro evenit, et certa vitia non pensat. Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere majorem, quod dicunt omnia: doctis est et electio, et modus. His accedit, quod a cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaque illud quaestionum et argumentorum apud corrupta judicia frigus evitant: nihilque aliud, quam quo vel pravis voluptatibus aures assistentium permulceant, quaerunt. Sententiae quoque ipsae, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida et abjecta sunt: ut *lumina non inter umbras* (quemadmodum Cicero dicit) *sed plane in tenebris clariora sunt.* Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum. Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut limam rudibus, et cotes hebetibus, et vino vetustatem; sed vitia detrahit: atque eo solo minus est, quod literae perpolierunt, quo melius. Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quaerunt. Nam et clamant ubique, et omnia *levata* (ut ipsi vocant) *manu*, emugiunt, multo discursu, anhelitu, jactatione, gestu, motu capitis furentes. Jam collidere manus, terrae pedem incutere, femur, pectus, frontem caedere, mire ad pullatum [1] circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa submittere, variare, disponere,

1 Pullatum.] Circumstantem turbam humilium, horum enim erant pullae tunicae.

ita etiam in pronuntiando suum cuique eorum, quae dicet, colori accommodare actum sciat: et si quid sit perpetua observatione dignum, modestus et esse, et videri malit. At illi hanc *vim* appellant, quae est potius *violentia:* cum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) praeceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consecuti, omissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur, eosque, qui plus honoris literis tribuerunt, et ineptos, et jejunos, et trepidos, et infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum occurrit, appellent. Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis: nos quando et praecipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus, desinere dum desideraremur, inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum, quae futura usui bonae mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

Nemo autem a me exigat id praeceptorum genus, quod est a plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: utique *prooemium*, et id quale; proxima huic *narratio;* quae lex deinde narrandi; *propositio* post hanc, vel, ut quibusdam placuit, *excursio;* tum *certus ordo quaestionum*, ceteraque, quae velut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam jussi sequuntur. Erat enim rhetorice res prorsus facilis ac parva, si uno et brevi praescripto contineretur: sed mutantur pleraque causis, temporibus, occasione, necessitate. Atque ideo res in oratore praecipua consilium est, quia varie, et ad rerum momenta convertitur. Quid enim si praecipias imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? Erit haec quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci, si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, silvis, asperitate alia prohibebitur. Mutabit

hostium genus, mutabit praesentis conditio discriminis, nunc acie directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnunquam terga etiam dedisse simulata fuga proderit. Ita prooemium necessarium, an supervacuum; breve, an longius; ad judicem omni sermone directo, an aliquando averso per aliquam figuram, dicendum sit: constricta an latius fusa narratio; continua an divisa; recta an ordine permutato, causae docebunt. Itemque de quaestionum ordine, cum in eadem controversia aliud alii parti prius quaeri frequenter expediat. Neque enim rogationibus plebisve scitis sancta sunt ista praecepta, sed hoc quidquid est, utilitas excogitavit. Non negabo autem sic utile esse plerumque, alioqui nec scriberem: verum si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc relictis magistrorum auctoritatibus, sequemur. Equidem id maxime *praecipiam, ac repetens iterumque iterumque monebo:* Res duas in omni actu spectet orator, *quid deceat, quid expediat.* Expedit autem saepe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, et interim decet, ut in statuis atque picturis videmus, variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Nempe enim adversa sit facies, et demissa brachia, et juncti pedes, et a summis ad ima rigens opus: flexus ille, et ut sic dixerim, motus, dat actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatae manus, et in vultu mille species. Cursum habent quaedam et impetum, sedent alia, vel incumbunt: nuda haec, illa velata sunt: quaedam mixta ex utroque. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen, ut parum rectum, improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel praecipue laudabilis est illa ipsa novitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam et delectationem afferunt figurae, quaeque in sensibus, quaeque in verbis sunt. Mutant enim aliquid a recto, atque hanc prae se virtutem ferunt, quod a consuetudine

vulgari recesserunt. Habet in pictura speciem tota facies: Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quaedam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt? ut fecit Timanthes,[1] ut opinor, Cythnius, in tabula, qua Colotem Tejum vicit. Nam cum in Iphigeniae immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulixem, addidisset Menelao, quem summum poterat ars efficere, moerorem: consumtis affectibus, non reperiens, quo digne modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput, et suo cuique animo dedit aestimandum. Nonne huic simile est illud Sallustianum, *Nam de Carthagine taoere satius puto, quam parum dicere?* Propter quae mihi semper moris fuit, quam minime alligare me ad praecepta, quae καθολικα vocant, id est, (ut dicamus quomodo possumus) *universalia*, vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut subrui possit. Sed de his plenius suo quidque loco tractabimus. Interim nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerint, et velut decretis technicorum tutos, putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, praesentissimo consilio constat ars dicendi. Sed adjuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam monstrent: a qua declinare qui crediderit nefas, patiatur necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. Itaque et stratum militari labore iter saepe deserimus compendio ducti: et si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: et si janua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Late fusum opus est, et multiplex, et prope quotidie novum, et de quo nunquam dicta erunt omnia.

[1] Timanthes.] "*Ejus est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata: qua stante ad aras peritura, cum maestos finxisset omnes, praecipue patruum, et tristitiae omnem imaginem consumsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere.*" Plin. 35. 10.

CHAP. 19.

UTRUM PLUS CONFERAT ELOQUENTIAE ARS AN NATURA.

Scio quaeri etiam, *naturane* plus ad eloquentiam conferat, *an doctrina.* Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus orator, nisi ex utroque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quaestionem velimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque majus adhuc naturae credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinae debere, quam naturae, putabo, sicut terrae, nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit; e terra uberi utile aliquid, etiam nullo colente, nascetur; at in solo foecundo plus cultor, quam ipsa per se bonitas soli, efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor mallem rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. Denique natura materia doctrinae est: haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia: materiae etiam sine arte pretium est. Ars summa, materia optima melior.

LIB. VI.

PROOEMIUM.

QUINTILIANUS DE FORTUNA SUA QUERITUR.

Haec, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus, tum si qua ex nobis ad juvenes bonos pervenire posset utilitas, novissime pene et necessitate quadam officii delegati mihi, sedulo laborabam; re-

spiciens tamen illam curam meae voluptatis, qui filio, cujus eminens ingenium sollicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hereditatis videbar: ut, si me, quod aequum et optabile fuit, fata intercepissent, praeceptore tamen patre uteretur. At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, festinantemque metu meae mortalitatis, ita subito prostravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus, quam ad me, pertineret. Illum enim, de quo summa conceperam, et in quo spem unicam senectutis meae reponebam, repetito vulnere orbitatis amisi. Quid nunc agam? aut quem ultra esse usum mei, diis reprobantibus, credam? Nam ita forte accidit, ut eum quoque librum, quem *de causis corruptae eloquentiae* emisi, jam scribere aggressus, simili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit, infaustum opus, et quidquid hoc est in me infelicium literarum, super immaturum funus consumturis viscera mea flammis injicere, neque hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare. Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus vocis, quam ut incusem deos, superstes omnium meorum? nullam terras despicere providentiam tester? si non meo casu, cui tamen nihil objici, nisi quod vivam, potest; at illorum certe, quos utique immeritos mors acerba damnavit: erepta mihi prius eorundem matre, quae nondum expleto aetatis undevicesimo anno duos enixa filios, quamvis acerbissimis rapta fatis, felix decessit. Ego vel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me jam nulla fortuna posset efficere felicem. Nam cum omni virtute, quae in feminas cadit, functa, insanabilem attulit marito dolorem: tum aetate tam puellari, praesertim meae comparata, potest et ipsa numerari inter vulnera orbitatis. Liberis tamen superstitibus oblectabar: et, quod nefas erat, saeva, sed optabat ipsa, me salvo maximos cruciatus praecipiti

via effugit. Mihi filius minor quintum egressus annum, prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrimarum causas volo: utinamque esset ratio minuendi. Sed dissimulare qui possum, quid illi gratiae in vultu, quid jucunditatis in sermone, quos ingenii igniculos, quam praestantiam placidae, et (quod scio vix posse credi tantum) altae mentis ostenderit? qualis amorem quicunque alienus infans mereretur. Illud vero insidiantis, quo me validius cruciaret, fortunae fuit, ut ille mihi blandissimus, me suis nutricibus, me aviae educanti, me omnibus, qui sollicitare solent illas aetates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos ante menses ceperam, gratulor. Minus enim est, quod flendum meo nomine, quam quod illius gaudendum est. Una post haec Quinctiliani mei spe ac voluptate nitebar: et poterat sufficere solatio. Non enim flosculos, sicut prior, sed jam decimum aetatis ingressus annum, certos atque deformatos fructus ostenderat. Juro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes, numina doloris mei, has me in illo vidisse virtutes ingenii, non modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil praestantius cognovi, plurima expertus, studiique jam tum non coacti, (sciunt praeceptores) sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis, ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis metus; quod observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem: et esse nescio quam, quae spes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini datum est, nostra provehantur. Etiam illa fortuita aderant omnia, vocis jucunditas claritasque, oris suavitas, et in utracunque lingua, tanquam ad eam demum natus esset, expressa proprietas omnium literarum. Sed haec spes adhuc: illa majora, constantia, gravitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo valetudinem tulit?

ut me in supremis consolatus est? quam etiam deficiens, jamque non noster, ipsum illum alienatae mentis errorem circa solas literas habuit? Tuosne ego (o meae spes inanes!) labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi? Tuum corpus frigidum, exsangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus, quos fero, dignus his cogitationibus. Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris admotum, te avunculo praetori generum destinatum, te omnium spe Atticae eloquentiae candidatum, superstes parens tantum ad poenas, amisi? Et, si non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea aetate. Nam frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus. Nemo, nisi sua culpa, diu dolet. Sed vivimus, et aliqua vivendi ratio quaerenda est: credendumque doctissimis hominibus, qui unicum adversorum solatium literas putaverunt. Si quando tamen ita resederit praesens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inseri possit, non injuste petierim morae veniam. Quis enim dilata studia miretur, quae potius non abrupta esse mirandum est? Tum, si qua minus fuerint effecta iis, quae levius adhuc afflicti coeperamus, imperitiae aut fortunae remittantur: quae, si quid, mediocrium alioqui nostro ingenio, virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. Nihil enim sibi adversus me reliquit, et infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est, quod in nullum jam proprium usum perseveramus, sed omnis haec cura ad alienos, ut alienis utilis (si modo quid utile scribimus) spectat. Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis paravimus, aliis relinquemus.

LIB. VIII. PROOEMIUM.

RECAPITULATIO.

His fere, quae in proximos quinque libros collata sunt, ratio *inveniendi*, atque inventa *disponendi*, continetur: quam ut per omnes numeros penitus cognoscere, ad summam scientiae necessarium est, ita incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosae atque perplexae deterreri solent: aut eo tempore, quo praecipue alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur: aut, si haec sola didicerint, satis se ad eloquentiam instructos arbitrantur: aut, quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati, conatum omnem reformidant. Unde existimant accidisse, ut, qui diligentissimi Artium scriptores exstiterunt, ab eloquentia longissime fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, et cum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita. Eligat itaque peritus ille praeceptor ex omnibus optima, et tradat ea demum in praesentia, quae placent, remota refutandi cetera mora. Sequuntur enim discipuli, quo duxeris. Mox cum robore discendi crescet etiam eruditio. Iidem primo solum iter credant esse, in quod inducentur, mox illud cognituri etiam optimum. Sunt autem neque obscura, neque ad percipiendum difficilia, quae scriptores diversis opinionibus pertinaciter tuendis involverunt. Itaque in toto artis hujusce tractatu difficilius est judicare, quid doceas; quam, cum judicaris, docere: praecipueque in duabus his partibus perquam sunt pauca, circa quae si is, qui instituetur, non repugnaverit, pronum ad cetera habiturus est cursum. Nempe enim plurimum in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus rhetoricen *bene dicendi scientiam*, *et utilem*, *et*

artem, et virtutem esse : materiam ejus *res omnes*, de quibus dicendum esset. Tum et eas in tribus fere generibus, *demonstrativo*, *deliberativo*, *judicialique* reperiri. Orationem porro omnem constare *rebus*, *et verbis*. In rebus intuendam *inventionem*, in verbis *elocutionem*, in utrisque *collocationem :* quae *memoria* complecteretur, *actio* commendaret. Oratoris officium, *docendi*, *movendi*, *delectandi* partibus contineri. Ex quibus ad docendum, *expositio et argumentatio ;* ad movendum, *affectus* pertinerent : quos per omnem quidem causam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominari. Nam *delectationem*, quamvis in utroque sit eorum, magis tamen proprias *in elocutione* partes habere. *Quaestiones* alias *infinitas*, alias *finitas*, quae personis, locis, temporibus continerentur. In omni porro materia tria esse quaerenda, *an sit ? quid sit ? quale sit ?* His adjiciebamus, *demonstrativam* laude ac vituperatione constare. In ea, quae ab ipso, de quo diceremus, quae post eum acta essent, intuendum. Hoc opus tractatu *honestorum utiliumque* constare. *Suasoriis* accedere tertiam partem ex conjectura, *possetne fieri ?* et, *an esset futurum ?* de quo deliberaretur. Hic praecipue diximus spectandum, *quis*, *apud quem*, *quid ?* diceret. *Judicialium* causarum alias in singulis, alias in pluribus controversiis consistere : et in quibusdam sufficere modo *intentionem*, modo *depulsionem :* porro *depulsionem* omnem infitiatione duplici, *factumne*, *et an hoc factum esset ?* praeterea *defensione* ac *translatione* constare. *Quaestionem* aut ex facto, aut ex scripto esse. *Ex facto*, de rerum fide, proprietate, qualitate. *Ex scripto*, de verborum vi, aut voluntate : in quibus vis tum causarum, tum actionum inspici soleat, quaeque aut scripti et voluntatis, aut ratiocinativae, aut ambiguitatis, aut legum contrariarum specie continetur. In omni porro causa judiciali quinque esse partes : quarum *exordio* conciliari audientem, *narratione* causam

proponi, *confirmatione* roborari, *refutatione* dissolvi, *peroratione* aut memoriam judicis refici, aut animos moveri. His argumentandi et afficiendi locos, et quibus generibus concitari, placari, resolvi judices oportet, adjecimus. Accessit ratio divisionis. Credere modo, qui discet, velit, certam quandam viam esse, in qua multa etiam sine doctrina praestare debeat per se ipsa natura, ut haec, de quibus dixi, non tam inventa a praeceptoribus, quam, cum fierent, observata esse videantur. Plus exigunt laboris et curae, quae sequuntur. Hinc enim jam *elocutionis* rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam. Nam et M. Antonius, cujus supra habuimus mentionem, ait *a se disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem. Disertis* satis putat, dicere quae oporteat: ornate autem dicere, proprium esse *eloquentissimi.* Quae virtus si usque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso; certum est et in his et in prioribus eam desideratam, quia difficillima fuit. Et Marcus Tullius *inventionem* quidem ac *dispositionem* prudentis hominis putat, *eloquentiam* oratoris. Ideoque praecipue circa partis hujus praecepta elaboravit. Quod eum merito fecisse, etiam ipso rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. *Eloqui* enim hoc est, omnia, quae mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre; sine quo supervacua sunt priora, et similia gladio condito, atque intra vaginam suam haerenti. Hoc itaque maxime docetur; hoc nullus nisi arte assequi potest; huc studium adhibendum; hoc exercitatio petit, hoc imitatio; hic omnis aetas consumitur; hoc maxime orator oratore praestantior: hoc genera ipsa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Asiani, aut quocunque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocaverunt: neque, quos *aridos* vocamus, stulti, aut in causis caeci fuerunt: sed his judicium in eloquendo ac modus; illis vires de-

fuerunt: ut appareat in hoc et vitium et virtutem esse dicendi. Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. Occurram enim necesse est, et, velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis, qui, omissa rerum (qui nervi sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia decoris; quod est in dicendo, mea quidem opinione, pulcherrimum; sed cum sequitur, non cum affectatur. Corpora sana, et integri sanguinis, et exercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque et colorata, et adstricta, et [1] lacertis expressa sunt, sed eadem si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, foedissima sunt ipso formae labore. Et *cultus concessus atque magnificus addit hominibus*, ut Graeco versu testatum est, *auctoritatem:* at muliebris et luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem. Nam plerumque optima rebus cohaerent, et cernuntur suo lumine: at nos quaerimus illa, tanquam lateant semper, seque subducant. Ita nunquam putamus circa id esse, de quo dicendum est: sed ex aliis locis petimus, et inventis vim afferimus. Majore animo aggredienda eloquentia est: quae, si toto corpore valet, ungues polire, et capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. Sed evenit plerumque, ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia sunt optima minime arcessita, et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia. Nam illa, quae curam fatentur, et ficta atque composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur, et fidem amittunt, propter id, quod sensus obumbrant,

[1] Lacertis.] Lacerti non modo pars brachii humeris proxima, sed ii quos medici musculos appellant.

et velut laeto gramine sata strangulant. Nam et, quod recte dici potest, circumimus amore verborum: et, quod satis dictum est, repetimus: et, quod uno verbo patet, pluribus oneramus: et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poetarum figuras seu translationes mutuamur: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio. Atqui satis aperte Cicero praeceperat, *in dicendo vitium vel maximum esse, a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere.* Sed ille durus, atque ineruditus: nos melius, quibus sordent omnia, quae natura dictavit, qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia; quasi vero sit ulla verborum, nisi rei cohaerentium, virtus: quae ut propria sint, et dilucida, et ornata, et apte collocentur, si tota vita laborandum est, omnis studiorum fructus amissus est. Atque plerosque videas haerentes circa singula, et dum inveniunt, et dum inventa ponderant, ac dimetiuntur. Quod etiamsi idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen haec infelicitas erat, quae et cursum dicendi refrenat, et calorem cogitationis exstinguit mora et diffidentia. Miser enim et (ut sic dicam) pauper orator est, qui nullum verbum aequo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognoverit, tum lectione multa et idonea copiosam sibi verborum supellectilem compararit, et huic adhibuerit artem collocandi: deinde haec omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promtu sint, et ante oculos. Namque hoc qui fecerit, ei res cum nominibus suis occurrent. Sed opus est studio praecedente, et acquisita facultate, et quasi reposita. Namque ista quaerendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non cum dicimus. Alioqui, sicut qui patrimonium non pararunt, subinde quaerunt: ita in oratione, qui

non satis laborarunt. Si praeparata vis dicendi fuerit, erunt in [1] officio, sic ut non ad requisita respondere, sed ut semper sensibus inhaerere videantur, atque ut umbra corpus sequi. Tamen in hac ipsa cura est aliquid satis. Nam, cum Latina, significantia, ornata, apte sunt collocata, quid amplius laboramus? Quibusdam tamen nullus finis calumniandi est, et cum singulis paene syllabis commorandi: qui, etiam cum optima sint reperta, quaerunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt, jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta: quorum ea sunt maxime probabilia, quae sensum animi nostri optime promunt, atque in animis judicum, quod volumus, efficiunt. Ea debent praestare sine dubio et admirabilem et jucundam orationem: verum *admirabilem* non sic, quomodo prodigia miramur; et *jucundam*, non deformi voluptate, sed cum laude ad dignitatem conjuncta.

LIB. X. CAP. I.

DE COPIA VERBORUM.

Sed haec eloquendi praecepta, sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quaedam facilitas, quae apud Graecos ἕξις nominatur, accesserit: quam *scribendo* plus, an *legendo*, an *dicendo* consequamur, solere quaeri scio. Quod esset diligentius nobis examinandum, si qualilibet ea-

1 Officio] *Erunt in officio* verba *sic, non ut requisita* demum et arcessita *respondere*, sed ultro ita adesse, et nutum quasi observare, *ut semper sensibus inhaerere* videantur. Famuli vel ministri, aut in proximo sunt, vocandi tamen, aut coram ad nutum intenti; sic verba.

rum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit.[1] Qui autem scierit, quo sint quaeque modo dicenda, nisi tanquam in procinctu, paratam quidem ad omnes casus, habuerit eloquentiam, velut clausis thesauris incubabit. Non autem ut quidque praecipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe cum sit in eloquendo positum oratoris officium, *dicere* ante omnia est; atque hinc initium ejus artis fuisse manifestum est; proximam deinde *imitationem*, novissimam *scribendi* quoque *diligentiam*. Sed ut perveniri ad summa, nisi ex principiis non potest: ita procedente jam opere, minima incipiunt esse, quae prima sunt. Verum nos non, quomodo sit instituendus orator, hoc loco dicimus: (nam id quidem aut satis, aut certe uti potuimus, dictum est) sed ut athletam, qui omnia jam perdidicerit a praeceptore, nimirum quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit; ita eum, qui res invenire et disponere sciet, verba quoque et eligendi et collocandi rationem perceperit, instruamus, qua ratione, quae didicit, facere quam optime et quam facillime possit. Num ergo dubium est, quin ei velut opes sint quaedam parandae, quibus uti, ubicunque desideratum erit, possit? Eae constant *copia rerum ac verborum*. Sed res propriae sunt cujusque causae, aut paucis communes: verba in universas paranda: quae si rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius

Fluit.] Fluctuat, fluitat.

sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promtu, atque (ut ita dicam) in conspectu, ut, cum se judicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit electio. Equidem scio, quosdam collecta, quae idem significarent, vocabula solitos, ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et, cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, effugiendae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset. Quod cum est puerile, et cujusdam infelicis operae, tum etiam utile parum: turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque. Nobis autem *copia cum judicio* paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur *optima legendo atque audiendo*. Non solum enim nomina ipsa rerum cognoscemus hac cura, sed cui quodque loco sit aptissimum. Omnibus enim fere verbis, praeter pauca, quae sunt parum verecunda, in oratione locus est. Nam scriptores quidem iamborum, veterisque comoediae, etiam in illis saepe laudantur: sed nobis nostrum opus interim tueri satis est. Omnia verba (exceptis de quibus dixi) sunt alicubi optima: nam et humilibus interim et vulgaribus est opus, et quae cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. Haec ut sciamus, atque eorum non significationem modo, sed formas [1] etiam mensurasque norimus, ut, ubicunque erunt posita, conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi non possumus; cum omnem sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod infantes a mutis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quaedam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia hujus naturae, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris,

[1] Formas.] Ut sciamus, cui quodque rei accurate conveniat? haec forma est: Quam late pateat? sitne latius an angustius? haec mensura.

intersit: ut *ensis* et *gladius*. Alia, quae etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικως tamen ad eundem intellectum feruntur, ut *ferrum* et *mucro*. Nam per abusionem *sicarios* etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint. Alia circuitu verborum plurium ostendimus: quale est, — — *Et pressi copia lactis*. Plurima vero mutatione figuramus, *Scio*, *Non ignoro*, et, *Non me fugit*, *Non me praeterit*, et, *Quis nescit*? *Nemini dubium est*. Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam et *intelligo*, et *sentio*, et *video*, saepe idem valent, quod *scio*. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut his non solum quomodo occurrerint, sed etiam quomodo oportet, utamur. Non semper enim haec inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim, *video*, ita de visu oculorum, *intelligo*: nec ut *mucro* gladium, sic *mucronem* gladius ostendit. Sed ut copia verborum sic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis, quae traduntur, artibus, cum eo, qui discit, perductus est, ut intelligere ea sine demonstrante, et sequi jam suis viribus possit: quia, quae doctor praecipit, orator ostendit. Alia vero legentes, alia audientes magis adjuvant. Excitat, qui dicit, spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Vivunt enim omnia, et moventur, excipimusque nova illa, velut nascentia, cum favore ac sollicitudine. Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum, qui orant, periculo afficimur. Praeter haec, vox et actio decora, commoda, ut quisque locus postulabit, pronuntiandi vel potentissima in dicendo ratio, et ut semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius judicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim et

vitiosa pluribus placeant, et a corrogatis laudentur etiam, quae non placent. Sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava judicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, sive dubites, sive memoriae penitus affigere velis. Repetamus autem, et tractemus, et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriae imitationique tradatur. Ac diu non nisi optimus quisque, et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter, ac paene ad scribendi sollicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, praecipueque oratio, cujus virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Saepe enim praeparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque in prima parte actionis dicit, quae sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta sint, ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repetenda. Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus: et quoties continget, utrinque habitas legere actiones: ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, et nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque iis, qui, quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Modeste tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent, quae non intelligunt. Ac si necesse est in

alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa displicere, maluerim. Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum: multique ejus judicium sequuntur: neque immerito. Namque ab his et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur, praecipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat. Meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, praeter id, quod solam petit voluptatem, eamque, fingendo non falsa modo, sed etiam quaedam incredibilia, sectatur, patrocinio quoque aliquo juvari: quod alligati ad certam pedum necessitatem non semper propriis uti possint, sed depulsi a recta via, necessario ad eloquendi quaedam deverticula confugiant: nec mutare quaedam modo verba, sed extendere, corripere, convertere, dividere cogantur: nos vero armatos stare in acie, et summis de rebus decernere, et ad victoriam niti decet. Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse, qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringitur: non qualis auri argentique, imbellis, et potius habenti periculosus. Historia quoque alere orationem quodam molli jucundoque succo potest. Verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus, plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis, et quodammodo carmen solutum: et scribitur ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei, pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis, et ingenii famam componitur: ideoque et verbis liberioribus, et remotioribus figuris narrandi taedium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa *Sallustiana brevitas*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse per-

fectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et saepius ineruditum, captanda nobis est: neque illa *Livii lactea ubertas* satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quaerit. Adde, quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quanquam illum *bellicum canere*, hujus *ore Musas esse locutas* existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in iis, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere. Est et alius ex historiis usus, et is quidem maximus, sed non ad praesentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus inprimis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat a litigatore; sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quod ea sola criminibus odii et gratiae vacant. A philosophorum vero lectione ut essent nobis multa petenda, vitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam et de justis, honestis, utilibus, quaeque sunt his contraria, et de rebus divinis maxime dicunt, et argumentantur acriter: et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socratici praeparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, praeceptorum et periculorum. Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo judicemus, ut id quoque adjungamus operi, *qui sint legendi*, quae in quoque auctore praecipua virtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, et tamen de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat, exceptis Caesare atque Marcello, silentium egerit: quis erit

modus, si et illos, et qui postea fuerunt, et Graecos omnes, et philosophos, et poetas, persequi velim? Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quae est apud Livium in epistola ad filium scripta, *legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.* Non est tamen dissimulanda nostri quoque judicii summa. Paucos enim, vel potius vix ullum ex iis, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui judicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid, cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adjutum. Nec multo aliter de novis sentio. Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicujus certe fiducia partis, memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, et citius nos dimittet, quam ut ejus nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quidquid ad aliquam partem scientiae pertinet, protinus ad faciendam etiam φρασιν, de qua loquimur, accommodatum est. Verum antequam de singulis loquar, pauca in universum de varietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam, et robur viris dignum, arbitrantur: alios recens haec lascivia, deliciaeque, et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita, delectant: sunt etiam, qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alii pressa demum et tenuia, et quae minimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant: quosdam elatior ingenii vis, et magis concitata, et plena spiritus capit: sunt et lenis, et nitidi, et compositi generis non pauci amatores. De qua differentia disseram diligentius, cum de genere dicendi quaerendum erit. Interim summatim, quid a qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt emi-

nentissimi, excerpere in animo est; facile est autem studiosis, qui sint his simillimi, judicare: ne quisquam queratur, omissos forte aliquos eorum, quos ipse valde probet. Fateor enim plures legendos esse, quam qui a me nominabuntur. Sed nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue convenire intendentibus, ut oratores fiant, existimem, persequar. Igitur, ut Aratus *ab Jove incipiendum* putat, ita nos rite coepturi ab HOMERO videmur. Hic enim (quemadmodum *ex oceano* dicit ipse *amnium vim fontiumque cursus initium capere)* omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus[1] ac pressus, jucundus et gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam: nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, nonne in utriusque sui operis ingressu paucissimis versibus legem prooemiorum, non dico, servavit, sed constituit? Nam et benevolum auditorem invocatione Dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem, summa celeriter comprehensa, facit. Narrare vero quis brevius, quam qui mortem nuntiat Patrocli, quis significantius potest, quam qui Curetum Aetolorumque proelium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum, et argumenta cetera quaeque probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam, qui de

[1] Laetus ac pressus.] Laetus quin conveniat, non dubitabit nisi qui nunquam legit, *Quid faciat laetas segetes.* Deinde *pressum laeto* opponi non mirabitur, qui *falce vites premi*, et *pressius putari eas* non ignoret.

artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis rogantis Achillem Priami precibus aequari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit viri, virtutes ejus non aemulatione, (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit; Heroicos tamen praecipue: videlicet quia clarissima in materia simili comparatio est.* Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est in insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis, et elegans, et venusta, et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem, ut Achillem, semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores: *Aristophanes* tamen, et *Eupolis*, *Cratinusque* praecipui. Tragoedias primus in lucem *Aeschylus* protulit, sublimis et gravis, et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus *Sophocles* atque *Euripides*: quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, quoniam ad praesentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi: et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus tradita sunt,

* In hoc toto capite, multi scriptores, de quibus a Fabio tractatum, sed obscuriores aut famae minoris, omittuntur.

paene ipsis par, et in dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus. Hunc et admiratus maxime est (ut saepe testatur) et secutus, quanquam in opere diverso, *Menander:* qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat: ita omnem vitae imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quoque Comici, si cum venia legantur, quaedam, quae possis decerpere: et praecipue *Philemon*, qui ut pravis sui temporis judiciis Menandro saepe praelatus est, ita consensu omnium meruit credi secundus. Historiam multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat duos longe ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. Densus, et brevis, et semper instans sibi *Thucydides:* dulcis, et candidus, et fusus *Herodotus:* ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate. *Theopompus* his proximus, ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis: ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator. *Philistus* quoque meretur, qui turbae, quamvis bonorum post hos auctorum, eximatur, imitator Thucydidis: et ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. *Ephorus*, ut Isocrati visum, calcaribus eget. *Clitarchi* probatur ingenium, fides infamatur. Longo post intervallo temporis natus *Timagenes*, vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. *Xenophon* non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est. Sequitur oratorum ingens manus, cum decem simul Athenis aetas una tulerit:

quorum longe princeps *Demosthenes*, ac paene lex orandi fuit; tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias. Plenior *Aeschines*, et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis inprimis et acutus *Hyperides:* sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. His aetate *Lysias* major, subtilis atque elegans, et quo nihil, si oratori satis sit docere, quaeras perfectius; nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti, quam magno flumini propior. *Isocrates* in diverso genere dicendi nitidus et comtus, et palaestrae, quam pugnae magis accommodatus, omnes dicendi Veneres sectatus est; nec immerito: auditoriis enim se, non judiciis comparat: in inventione facilis, honesti studiosus: in compositione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. Neque ego in his, de quibis sum locutus, has solas virtutes, sed has praecipuas puto: nec ceteros parum fuisse magnos. Quin etiam *Phalereum* illum *Demetrium* (quanquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero. Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet *Platonem* esse praecipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? multum enim supra prosam orationem, et quam pedestrem Graeci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem *Xenophontis* jucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi? ut ipsae finxisse sermonem Gratiae videantur: et quod de *Pericle* veteris comoediae testimonium est, in hunc

transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi deam. Quid reliquorum *Socraticorum* elegantiam? Quid *Aristotelem?* quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. Nam in *Theophrasto* tam est eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiae *Stoici* veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo, probandoque, quae instituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis, quam (id quod sane non affectant) oratione magnifici. Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos *Virgilius* auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum, Graecorum nostrorumque, illi haud dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quae ex Afro Domitio juvenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, *Secundus*, inquit, *est Virgilius, propior tamen primo, quam tertio.* Et hercle ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentioribus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes longe sequentur. Nam *Macer* et *Lucretius* legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiae faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis. *Attacinus Varro* in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. *Ennium*, sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alii, atque ad hanc phrasin, de qua loquimur, magis utiles. Lascivus quidem in Heroicis quoque *Ovidius*, et nimium amator ingenii sui: laudandus tamen in partibus. *Cornelius* autem

Severus, etiamsi versificator quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi jure secundum locum. Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen ejus opera et maximam indolem ostendunt, et mirabilem, praecipue in aetate illa, recti generis voluntatem. Multum in *Valerio Flacco* nuper amisimus. Vehemens et poeticum ingenium *Saleii Bassi* fuit, nec ipsum senectute maturum. *Rabirius* ac *Pedo* non indigni cognitione, si vacet. *Lucanus* ardens, et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam, quod sentio, magis oratoribus, quam poetis, adnumerandus. Elegia Graecos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor *Tibullus*. Sunt qui *Propertium* malint. *Ovidius* utroque lascivior: sicut durior *Gallus*. Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est *Lucilius*, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui *Lucilium fluere lutulentum*, et, *esse aliquid, quod tollere possis*, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis *Horatius*, et ad notandos hominum mores praecipuus. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, *Persius* meruit. Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur. In comoedia maxime claudicamus: licet Varro dicat, *Musas*, Aelii Stilonis sententia, *Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent;* licet *Caecilium* veteres laudibus ferant; licet *Terentii scripta* ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis

venerem, quando eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint. Togatis excellit *Afranius*, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus. At Historia non cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi *Sallustium* verear: nec indignetur sibi Herodotus aequari *T. Livium*, cum in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia, cum rebus, tum personis, accommodata: sed affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur *Servilius Nonianus*, "pares eos magis, quam similes." Sunt et alii scriptores boni: sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus. Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possunt. Nam CICERONEM cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum praesertim id non sit propositi, ut eum *Demostheni* comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem inprimis legendum, vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique, quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior; ille concludit adstrictius, hic latius; pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adiici; curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe, et commiseratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. Et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit: sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc quidem,

quod ille et prior fuit, et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim *pluvias* (ut ait Pindarus) *aquas colligit, sed vivo gurgite exundat*, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam jucunditas affuit? ut ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, et, cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advocati studium, sed testis aut judicis afferat fidem. Cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio prae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae *regnare in judiciis* dictus est: apud posteros vero id consecutus, ut Cicero jam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum nobis sit exemplum: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in *Asinio Pollione* inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior. At *Messala* nitidus et candidus, et quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor. *C.* vero *Caesar* si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. Ex industria *Senecam* in omni gene-

re eloquentiae distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur: tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares, aut saltem proximos, illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat: deinde cum se jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cujus et multae alioqui, et magnae virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes ejus, et poemata, et epistolae, et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset: consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis, et severiore genere satis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere potest utrinque judicium. Multa enim (ut dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curae sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae, quod voluit, effecit.

LIB. X. CAP. 2.

DE IMITATIONE.

Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est, et varietas figurarum, et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum: sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut, quae probamus in aliis, facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercle necesse est, aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quam fuit iis, qui nihil, quod sequerentur, habuerunt, nisi caute et cum judicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis, quae sunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent, nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt? Et cum illi, qui nullum cujusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus, nisi bene-

ficii alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poetis supra *Livium Andronicum;* nihil in historiis supra *Pontificum annales* haberemus: ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. Nihil enim crescit sola imitatione. Quod si prioribus adiicere fas non est, quomodo sperare possumus illum oratorem perfectum? cum in iis, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. Sed etiam qui summa non appetunt, contendere potius, quam sequi debent. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiam, si non transierit, aequabit. Eum vero nemo potest aequare, cujus vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim, semper sit posterior, qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere, quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res, quae simillimae videantur, discrimine aliquo discernantur. Adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore, et imago facie, et actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque iis, quae in exemplum assumimus, subest natura, et vera vis: contra omnis imitatio ficta est, et ad alienum propositum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes: quod in illis vera, in his assimulata materia est. Adde quod ea, quae in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt,

ingenium, *inventio*, *vis*, *facilitas*, et quidquid arte non traditur. Ideoque plerique, cum verba quaedam ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se, quae legerunt, effingi arbitrantur: cum et verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam per se soni tantum sunt) sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt: et compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima. Quapropter exactissimo judicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur; nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cujusque et corruptissimi concupierint. Deinde in ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa; atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut sic dixerim, cutem, vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut adspectum orationis aptarunt: et cum iis felicissime cessit imitatio, qui verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in pejus, et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro *grandibus tumidi*, *pressis exiles*, *fortibus temerarii*, *laetis corrupti*, *compositis exsultantes*, *simplicibus negligentes*. Ideoque qui horride atque incomposite quamlibet frigidum illud et inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem aemulantur: otiosi et su-

pini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent, *Esse videatur*. Ergo primum est, ut, quod imitaturus est quisque, intelligat, et quare bonum sit, sciat. Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quaedam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet. Nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum; amore subtilitatis et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur. Nihil est enim tam indecens, quam cum mollia dura fiunt. Atque ego illi praeceptori, quem institueram in libro secundo, tradidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret. Nam is et adjuvare debet, quae in quoque eorum invenerit bona, et, quantum fieri potest, adjicere, quae desunt, et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator; difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia, quae recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit. Id quoque vitandum, (in quo magna pars errat) ne in oratione poetas nobis et historicos, in illorum operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nec comoedia in cothurnos assurgit, nec contra tragoedia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune. Id imitemur, quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere iis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicujus, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas, aut nuditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas

conditio, sed in singulis etiam causis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Longe perfectissimus Graecorum *Demosthenes*, aliquid tamen aliquo in loco melius alii. Plurima ille: sed non qui maxime imitandus, etiam solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo *Marcus Tullius* dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen nocet, vim *Caesaris*, asperitatem *Caelii*, diligentiam *Pollionis*, judicium *Calvi*, quibusdam in locis assumere? Nam praeter id, quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars sequitur. Ideoque cum totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et, quo quidque loco conveniat, aptemus. Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia etiam, quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumta, quae tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut suppleat, quae deerant, circumcidat, si quid redundabit, is erit (quem quaerimus) perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersint, quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

LIB. X. CAP. 3.

QUOMODO SCRIBENDUM SIT.

Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis autem, quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert stilus. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat.* Cui sententiae personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, assignando, judicium suum cum illius auctoritate conjunxit. Scribendum ergo quam diligentissime, et quam plurimum. Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus foecundior est: sic profectus non a summo petitus, studiorum fructus et fundit uberius, et fidelius continet. Nam, sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum, et usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut majora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Sed cum sit duplex quaestio, *quomodo*, et *quae* maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus: quaeramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est, et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri: non, ut quodque se proferet verbum, occupet locum. Quae quidem ut diligentius exsequamur, repetenda saepius erunt scriptorum

proxima. Nam praeter id, quod sic melius junguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, et velut repetito spatio sumit impetum; quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant, et ad illud, quo contenditur, spatium cursu ferantur: utque in jaculando brachia reducimus, et, expulsuri tela, nervos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad judicium, et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus. Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram et sollicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec est rei, Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus, ut provideamus, et ferocientes equos frenis quibusdam coerceamus: quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Nec enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem, quibus nihil sit satis; omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint: increduli quidam, et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus

frequenter, ut labore consumantur, et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum illum, aequalem meum, atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos disertus, et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, quae causa frontis tam obductae? nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, ex quo omni labore materiae ad scribendum destinatae non inveniret exordium: quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid tu*, inquit, *melius dicere vis, quam potes?* Ita se res habet. Curandum est, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Ut possimus autem scribere etiam plura, et celerius, non *exercitatio* modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio;* si non resupini, spectantesque tectum, et cogitationem murmure agitantes, exspectaverimus, quid obveniat, sed quid res poscat? quid personam deceat? quod sit tempus? qui judicis animus? intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia, et quae sequuntur, natura ipsa praescribit. Certa sunt enim pleraque, et, nisi conniveamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus, semper optimum esse, quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus. Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt; hanc

silvam vocant: repetunt deinde, et componunt, quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis, quae fuit, levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequemur, in quibus fere plus calor, quam diligentia, valet. Satis apparet ex eo, quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis sentiam. Nam in stilo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem ejus manus: ille, cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare, aut resistere, aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostrae timentes. Quo fit, ut non rudia tantum, et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quae nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille, qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo, velut offensator fuerit, inhibetur cursus, atque omnis, quae erat, conceptae mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae apertiorem animi motum sequuntur, quaeque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est jactare manum, torquere vultum, simul vertere latus, et interim objurgare, quaeque Persius notat, cum leviter dicendi genus significat,

Nec pluteum, *inquit*, caedit, nec demorsos sapit ungues;

etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. Denique ut semel, quod est potentissimum, dicam: secretum (quod dictando perit) atque liberum arbitris locum, et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt, aptissima in hoc nemora silvasque; quod illa coeli libertas, locorumque amoenitas, sublimem animum, et beatiorem spiritum parent.

Mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator, videtur esse secessus. Namque illa ipsa, quae delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: et, quocunque respexerit, desinit intueri, quod propositum erat. Quare silvarum amoenitas, et praeterlabentia flumina, et inspirantes ramis arborum aurae, volucrumque cantus, et ipsa late circumspiciendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox, et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes, silentium noctis, et clausum cubiculum, et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc praecipue bona valetudo, quaeque eam maxime praestat, frugalitas, necessaria est: cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod somno supererit, haud deerit. Obstat enim diligentiae scribendi etiam fatigatio: et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. Sed silentium et secessus, et undique liber animus, ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere: ideoque non statim, si quid obstrepet, abjiciendi codices erunt, et deplorandus dies: verum incommodis repugnandum, et hic faciendus usus, ut omnia, quae impediunt, vincat intentio; quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quae oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus, et itinere deerremus: non consequemur idem, si et voluerimus? Non est indulgendum causis desi-

diae. Nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes, studendum existimaverimus, semper erit, propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conviviis etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quae idem ille tantus amator secreti Demosthenes, in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans, consuescebat concionum fremitus non expavescere. Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio [1] delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. Relinquendae autem in utrolibet genere contra vacuae tabellae, in quibus libera adjicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt, aut certe novorum interpositione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus juvenem studiosum alioqui praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur: idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in quo notentur, quae scribentibus solent extra ordinem, id est, ex aliis, quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur, interim memoriae suae intentos, ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in deposito.

[1] Delendi.] Verso stilo, et qua latior est inducto verbis quae improbantur.

LIB. X. CAP. 4.

DE EMENDATIONE.

SEQUITUR *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est, stilum non minus agere, cum delet. Hujus autem operis est; *adjicere*, *detrahere*, *mutare*. Sed facilius in his simpliciusque judicium, quae replenda vel dejicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta componere, exsultantia coercere, duplicis operae. Nam et damnanda sunt, quae placuerant; et invenienda, quae fugerant. Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum, velut nova atque aliena, redeamus, ne nobis scripta nostra, tanquam recentes foetus, blandiantur. Sed neque hoc contingere semper potest, praesertim oratori, cui saepius scribere ad praesentes usus necesse est: et ipsa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia scripta, tanquam vitiosa, redeant, et quasi nihil fas sit rectum esse, quod primum est, melius existiment, quidquid est aliud: idque faciant, quoties librum in manus resumserint, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque, ut cicatricosa sint, et exsanguia, et cura pejora. Sit igitur aliquando, quod placeat, aut certe quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse debet modus. Nam quod Cinnae Smyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

LIB. X. CAP. 5.

QUAE PRAECIPUE SCRIBENDA.

Proximum est, et dicamus, *quae praecipue scribenda* sint. Hoc exuberantis quidem est operis, ut explicemus, quae sint materiae: quae prima aut secunda, aut deinceps tractanda sint: nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum; et secundo, quo jam robustorum studiis ordinem dedimus: sed, de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maxime veniat. Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalae placuit: multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt: et hos transferentibus, verbis uti optimis licet: omnibus enim utimur nostris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est: quia plerumque a Graecis Romana dissentiunt. Sed et illa ex Latinis conversio multum et ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest: et verba, poetica libertate audaciora, non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem. Sed et ipsis sententiis adjicere licet oratorium robur, et omissa supplere, et effusa substringere. Neque ego παραφρασιν esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem

sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia, optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum, aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, nisi semel, non possit. Nisi forte histrionum multa circa voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius, quod invenimus, sit, neque par: est certe proximus locus. An vero ipsi non bis ac saepius de eadem re dicimus, et quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimaeque eodem viae ducunt. Sua brevitati gratia, sua copiae; alia translatis virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid? quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur? Non enim scripta lectione secura transcurrimus: sed tractamus singula, et necessario introspicimus, et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus. Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci solent. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam in illa multiplici *personarum*, *causarum*, *temporum*, *locorum*, *dictorum*, *factorum* diversitate facile delitescet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere, quae natura contracta sunt,

augere parva, varietatem similibus, voluptatem expositis dare, et bene dicere multa de paucis. In hoc optime facient infinitae quaestiones, quas vocari θεσεις diximus, quibus Cicero jam princeps in republica exerceri solebat. His confinis est destructio et confirmatio sententiarum. Nam cum sit sententia decretum quoddam atque praeceptum; quod de re, idem de judicio rei quaeri potest. Tum loci communes, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam qui haec recta tantum, et in nullos flexus recedentia copiose tractaverit, utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit, eritque in omnes causas paratus.

LIB. X. CAP. 6.

DE COGITATIONE.

Proxima stilo *cogitatio* est, quae et ipsa vires ab hoc accipit, et est inter scribendi laborem, extemporalemque fortunam media quaedam, et nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique, nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Haec paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. Haec, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adjuvatur. Haec inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur. Neque vero rerum ordinem modo (quod ipsum satis erat) intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter manum desit. Nam memoriae quoque plerumque inhaeret fidelius, quod nulla scribendi securitate laxatur. Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito, aut cito. Nam primum facienda multo stilo forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum

complectamur animo, quae reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda usu, et exercitatione multa continenda est, quae quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut is, cui non refragetur ingenium, acri studio adjutus tantum consequatur, ut ea etiam, quae cogitarit, aeque ac quae scripserit, atque edidicerit, in dicendo fidem servent. Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium, et Eriphylum Rhodium, nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant, ad verbum in agendo retulisse. Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum. Neque enim tantum habent curae, ut non sit dandus et fortunae locus, cum saepe etiam scriptis ea, quae subito nata sunt, inferantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et digredi ex eo, et redire in id facile possimus. Nam ut primum est, domo afferre paratam dicendi copiam, et certam: ita refutare temporis munera longe stultissimum est. Quare *cogitatio* in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adjuvare possit. Id autem fiet memoriae viribus, ut illa, quae complexi animo sumus, fluant secura, non sollicitos et respicientes, et una spe suspensos recordationis, non sinant providere: alioqui vel extemporalem temeritatem malo, quam male cohaerentem cogitationem. Pejus enim quaeritur retrorsus, quia cum illa desideramus, ab aliis avertimur: et ex memoria potius repetimus, quam ex materia. Plura sunt autem, si utrumque quaerendum est, quae inveniri possunt, quam quae inventa sunt.

LIB. X. CAP. 7.

QUOMODO EXTEMPORALIS FACULTAS DICENDI PARETUR.

Maximus vero studiorum fructus est, et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris, *ex tempore dicendi facultas:* quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renuntiabit, et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bonae fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit: ut indicare portum, ad quem navis accedere, nisi lenibus ventis vecta, non possit. Siquidem innumerabiles accidunt subitae necessitates, vel apud magistratus, vel repraesentatis judiciis continuo agendi. Quarum si qua, non dico cuicunque innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alicui evenerit, stabitne mutus, et salutarem petentibus vocem, statim, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quaeret, dum illa verba fabricentur, et memoriae insidant, et vox ac latus praeparetur? Quae vero patitur hoc ratio, ut quisquam sit orator imparatus ad casus? Quid, cum adversario respondendum erit, fiet? Nam saepe ea, quae opinati sumus, et contra quae scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur. Atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda est. Quid porro multus stilus, et assidua lectio, et longa studiorum aetas facit, si manet eadem, quae fuit incipientibus, difficultas? Periisse profecto confitendum est praeteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit.

LIB. XI. CAP. 1.

QUOMODO APTE DICATUR.

PARATA, sicut superiori libro continetur, facultate scribendi, cogitandique, et ex tempore etiam, cum res poscet, orandi; proxima est cura, ut *dicamus apte:* quam virtutem quartam elocutionis Cicero demonstrat, quaeque meo quidem judicio maxime necessaria est. Nam cum sit ornatus orationis varius et multiplex, conveniatque alius alii: nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet, et vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodest, esse verba et Latina, et significantia, et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae judicem duci formarique volumus, consentiant? Si genus sublime dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum jucundis adhibeamus? ut monilibus, et margaritis, ac veste longa, quae sunt ornamenta feminarum, deformentur viri; nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, feminas deceat. Hunc locum Cicero breviter in tertio de Oratore libro perstringit: neque tamen videri potest quidquam omisisse, dicendo, *non omni causae, nec auditori, nec personae, nec tempori congruere orationis unum genus.* Nec fere pluribus in Oratore eadem. Sed illic L. Crassus, cum apud summos oratores, hominesque eruditissimos dicat, satis habet, partem hanc velut notare inter agnoscentes. Et hic Cicero alloquens Brutum testatur esse haec ei nota; ideoque brevius a se dici, quanquam sit fusus locus, tracteturque a philosophis latius. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paulo pluribus

verbis debet haberi venia. Quare notum sit nobis ante omnia, quid *conciliando*, *docendo*, *movendo* judici conveniat: quid quaque parte orationis petamus. Ita neque vetera, aut translata, aut ficta verba in *incipiendo*, *narrando*, *argumentando* tractabimus, neque decurrentes contexto nitore circuitus, ubi dividenda erit causa, et in partes suas digerenda, neque humile atque quotidianum sermonis genus, et compositione ipsa dissolutum, epilogis dabimus, nec jocis lacrimas, ubi opus erit miseratione, siccabimus. Nam ornatus omnis non tam sua, quam rei, cui adhibetur, conditione constat: nec plus refert, quid dicas, quam quo loco. Sed totum hoc, *apte dicere*, non *elocutionis* tantum genere constat, sed est cum *inventione* commune. Nam si tantum habent etiam verba momentum, quanto res ipsae majus? Quarum quae esset observatio, suis locis subinde subjecimus. Illud est diligentius docendum, eum demum dicere apte, qui, non solum *quid expediat*, sed etiam *quid deceat*, inspexerit. Nec me fugit, plerumque haec esse conjuncta. Nam quod decet, fere prodest: neque alio magis animi judicum conciliari, aut, si res in contrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen et haec dissentiunt. Quoties autem pugnabunt, ipsam utilitatem vincet quod decet. Nam quis nescit, nihil magis profuturum ad absolutionem Socrati fuisse, quam si esset usus illo judiciali genere defensionis, et oratione submissa conciliasset judicum animos sibi, crimenque ipsum sollicite redarguisset? Verum id eum minime decebat: ideoque sic egit, ut qui poenam suam honoribus summis esset aestimaturus. Maluit enim vir sapientissimus, quod superesset ex vita, sibi perire, quam quod praeterisset. Et quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se judiciis reservavit, brevi detrimento jam ultimae senectutis aevum seculorum omnium consecutus. Itaque quamvis Lysias, qui tum in dicendo praestantissimus habebatur, defensionem illi scriptam

attulisset, uti ea noluit: cum bonam quidem, sed parum sibi convenientem, judicasset. Quo vel solo patet, non persuadendi, sed bene dicendi finem in oratore servandum, cum interim persuadere deforme sit. Non fuit hoc utile absolutioni: sed (quod est majus) homini fuit. Et nos secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur, ut ab eo, quod deceat, utilitatem separemus. Nisi forte prior ille Africanus, qui patria cedere, quam cum tribuno plebis humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi videtur consuluisse: aut P. Rutilius, vel cum illo paene Socratico genere defensionis est usus, vel cum, revocante eum P. Sulla, manere in exsilio maluit, quid sibi maxime conduceret, nesciebat. Hi vero parva illa, quae abjectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda judicaverunt: ideoque perpetua seculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut quae laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecunque discrimen raro admodum evenit. Ceterum idem fere (ut dixi) in omni genere causarum et proderit, et decebit. Est autem, quod omnes et semper et ubique, suadere ac dicere honeste: contraque neminem ullo unquam in loco, turpiter. Minora vero, quaeque sunt ex mediis, plerumque sunt talia, ut aliis sint concedenda, aliis non sint; aut *pro persona*, *tempore*, *loco*, *causa* magis ac minus vel excusanda debeant videri, vel reprehendenda. Cum dicamus autem de rebus aut alienis, aut nostris, dividenda ratio est eorum, dum sciamus pleraque neutro loco convenire. Inprimis igitur omnis sui vitiosa jactatio est, eloquentiae tamen in oratore praecipue; affertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium. Habet enim mens nostra natura sublime quiddam et erectum, et impatiens superioris. Ideoque abjectos, aut submittentes se, libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majores

videmur: et, quoties discessit aemulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quam minores ceteros facere. Inde invident humiliores. Hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere: rident superiores, improbant boni. Plerumque vero deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem: sed in veris quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quanquam is quidem rerum a se gestarum major, quam eloquentiae, fuit in orationibus utique jactator. At plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adjutoribus in opprimenda conjuratione, aut respondebat invidiae: cui tamen non fuit par, servatae patriae poenam passus exsilium: ut illorum, quae egerat in consulatu, frequens commemoratio possit videri non gloriae magis, quam defensioni, data. Eloquentiam quidem cum plenissimam diversae partis advocatis concederet, sibi nunquam in agendo immodice arrogavit. Illius sunt enim, *Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum;* et, *Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparavi.* Quin etiam contra Q. Caecilium de accusatore in Verrem constituendo, quamvis multum esset in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quam arrogavit sibi: *seque non consecutum, sed omnia fecisse, ut posset eam consequi*, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena tamen persona, verum de eloquentia sua dicit. Et aperte tamen gloriari, nescio an sit magis tolerabile vel ipsa vitii hujus simplicitate; quam illa jactatione perversa, si abundans opibus pauperem se, nobilis obscurum, et potens infirmum, et disertus imperitum plane et infantem vocet. Ambitiosissimum gloriandi genus est, etiam deridere. Ab

aliis ergo laudemur. Nam ipsos, ut Demosthenes ait, *erubescere, etiam cum ab aliis laudabimur, decet.* Neque hoc dico, non aliquando de rebus a se gestis oratori esse dicendum, sicut eidem Demostheni pro Ctesiphonte: quod tamen ita emendavit, ut necessitatem id faciendi ostenderet, invidiamque omnem in eum regereret, qui hoc se coegisset. Et M. Tullius saepe dicit de oppressa conjuratione Catilinae; sed modo id virtuti Senatus, modo providentiae Deorum immortalium assignat.

LIB. XI. CAP. 2.

DE MEMORIA.

MEMORIAM quidam naturae modo esse munus existimaverunt, estque in ea non dubie plurimum, sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur: et totus, de quo diximus adhuc, inanis est labor, nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si, quidquid audimus, praeterfluat: et exemplorum, legum, responsorum, dictorum, beneque factorum velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promtu semper habere debet orator, eadem illa vis repraesentat. Neque immerito *thesaurus* hic *eloquentiae* dicitur. Sed non firme tantum continere, verum etiam cito percipere multa acturos oportet; nec quae scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi: et, quae sint ab adversa parte dicta, meminisse: nec utique eo quo dicta sunt, ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid? extemporalis oratio non alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quae dicturi sumus, intuenda sunt; ita cum semper

cogitatio ultra id, quod est, longius quaerit: quidquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit: quod illa, quasi media quaedam manus, acceptum ab inventione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid sit, quod memoriam faciat: quanquam plerique imprimi quaedam vestigia nostro animo, quae velut in ceris annulorum signa serventur, existimant. Neque ero tam credulus, ut quasi habitu tardiorem firmioremque memoriam fieri putem. Ejus autem, quod ad animum pertinet, magis admirer naturam, subito res vetustas, tanto ex intervallo repetitas, reddere se et offerre: nec tantum requirentibus, sed etiam sponte interim: nec vigilantibus, sed etiam quiete compositis magis. Eoque illa quoque animalia, quae carere intellectu videmus, meminerunt, et agnoscunt, et, quamlibet longo itinere diducta, ad assuetas sibi sedes revertuntur. Quid? non haec varietas mira est, excidere proxima, vetera inhaerere? hesternorum immemores, acta pueritiae recordari? Quid? quod quaedam requisita se occultant, et eadem forte succurrunt? nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen, quanta vis esset ejus, quanta divinitas illa, nisi hoc lumen orandi extulisset. Non enim rerum modo, sed etiam verborum ordinem praestat: nec ea pauca contexit, sed durat prope in infinitum, et in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memoriae fides deficit. Quod et ipsum argumentum est, subesse artem aliquam, juvarique ratione naturam: cum iidem docti facere illud, indocti et inexercitati non possimus: quanquam invenio apud Platonem, obstare memoriae usum literarum: videlicet quod illa, quae scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, et ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a prospectu rerum, quas intuetur, non aversa. Unde accidit, ut quae per plures dies scribi-

mus ediscendi causa, cogitatione ipsa contineat. Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides. Si quis tamen unam maximamque a me artem memoriae quaerat, *exercitatio* est, et *labor:* multa ediscere, multa cogitare, et (si fieri potest) quotidie, potentissimum est. Nihil aeque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare et pueri statim, ut praecepi, quam plurima ediscant, et, quaecunque aetas operam juvandae studio memoriae dabit, devoret initio taedium illud et scripta et lecta saepius revolvendi, et quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quae taedium non afferant, coeperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat, in summam ad infinitum usque perveniat: et poetica prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris, et magis ab usu dicendi remota, qualia sunt jurisconsultorum. Difficiliora enim debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent: ut athletae ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis et nudis in certamine utendum est. Non omittam etiam, quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem esse paulo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum dictu est, nec in promtu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis, sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstabat, sive maturatur, atque concoquitur, seu firmissima ejus pars est recordatio: quae statim referri non poterant, contexuntur postera die, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis. Etiam illa praevelox fere cito effluit, et, velut praesenti officio functa, nihil in posterum debeat, tanquam dimissa discedit. Nec est mirum, magis haerere animo, quae diutius affixa sint. Ex hac ingeniorum diversitate nata dubitatio est, *ad verbum sit ediscendum dicturis? an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit?*

de quo sine dubio non potest in universum pronuntiari. Nam si memoria suffragatur, tempus non desit, nulla me velim syllaba effugiat: alioqui etiam scribere sit supervacuum. Idque praecipue a pueris obtinendum, atque in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideoque et admoneri, et ad libellum respicere vitiosum, quod libertatem negligentiae facit, nec quisquam se parum tenere judicat, quod, ne sibi excidat, non timet. Inde interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio, et qui dicit ediscenti similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit vel hoc ipso, quod scripsisse se confitetur. Memoria autem facit etiam promti ingenii famam, ut illa, quae dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumsisse videamur: quod et oratori et ipsi causae plurimum confert. Nam et magis miratur, et minus timet judex, quae non putat adversus se praeparata. Idque in actionibus inter praecipua servandum est, ut quaedam etiam, quae optime vinximus, velut soluta enuntiemus: et cogitantibus nonnunquam et dubitantibus similes quaerere videamur, quae attulimus. Ergo quid sit optimum, neminem fugit. Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se verba alligare, cum oblivio unius eorum cujuslibet, aut deformem haesitationem, aut etiam silentium inducat. Tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere. Nam et invitus perdit quisque id, quod elegerat, verbum: nec facile reponit aliud, dum id, quod scripserat, quaerit. Sed ne hoc quidem infirmae memoriae remedium est, nisi in iis, qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt. Quod si cui utrumque defuerit, huic omittere omnino totum actionum laborem, ac, si quid in literis valet, ad scribendum potius suadebo convertere. Sed haec rara infelicitas erit. Ceterum quantum natura studioque valeat me-

moria, vel Themistocles testis, quem unum intra annum optime locutum esse Persice constat: vel Mithridates, cui duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse: vel Crassus ille dives, qui, cum Asiae praeesset, quinque Graeci sermonis differentias sic tenuit, ut, qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi jus redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quamlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes. Dicebantur etiam nunc esse, qui facerent, sed mihi nunquam, ut ipse interessem, contigit: habenda tamen fides est vel in hoc, ut, qui crediderit, et speret.

LIB. XI. CAP. 3.

DE PRONUNTIATIONE.

Pronuntiatio a plerisque *actio* dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque *actionem* Cicero alias quasi *sermonem*, alias *eloquentiam* quandam *corporis* dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quae sunt eaedem pronuntiationis, *vocem* atque *motum*. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Habet autem res ipsa miram quandam in orationibus vim ac potestatem. Neque enim tam refert, qualia sint, quae intra nosmetipsos composuimus; quam quo modo efferantur: nam ita quisque, ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, quae modo venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis. Affectus omnes languescant necesse est, nisi *voce*, *vultu*, totius prope *habitu corporis*, inardescant. Nam cum haec omnia fecerimus, felices sumus, si tamen nostrum illum ignem judex conceperit: nedum eum

supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui et optimis poetarum tantum adjiciunt gratiae, ut nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta, delectent; et vilissimis etiam quibusdam impetrant aures, ut, quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quod si in rebus, quas fictas esse scimus et inanes, tantum pronuntiatio potest, ut iram, lacrimas, sollicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est, ubi et credimus? Equidem vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis, affirmaverim plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam. Siquidem et Demosthenes, *quid esset in toto dicendi opere primum*, interrogatus, *pronuntiationi palmam* dedit, eidemque *secundum* ac *tertium locum*, donec ab eo quaeri desineret: ut eam videri posset non praecipuam, sed solam judicasse. Ideoque ipse tam diligenter apud Andronicum Hypocritem studuit, ut admirantibus ejus orationem Rhodiis non immerito Aeschines dixisse videatur, *quid si ipsum audissetis?* Et M. Cicero *unam in dicendo actionem dominari* putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis consecutum, quam eloquentia, tradit: eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece totius populi Romani lacrimas concitasse: Antonium et Crassum multum valuisse, plurimum vero Q. Hortensium; cujus rei fides est, quod ejus scripta tantum intra famam sunt, qui diu princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, novissime, quoad vixit, secundus: ut appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus. Et hercle cum valeant multum verba per se, et vox propriam vim adjiciat rebus, et gestus motusque significet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint, necesse est. Sunt tamen qui rudem illam, et qualem impetus cujusque animi tulit, actionem judicent fortiorem, et solam viris dignam: sed non alii

fere, quam qui etiam in dicendo curam, et artem, et nitorem, et quidquid studio paratur, ut affectata et parum naturalia solent improbare; vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant. Verum illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint oratores, satis putant nasci: nostro labori dent veniam, qui nihil credimus esse perfectum, nisi ubi natura cura juvetur. In hoc igitur non contumaciter consentio, primas partes esse naturae. Nam certe bene pronuntiare non poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in iis, quae subito dicenda erunt, facilitas promta defuerit: nec si inemendabilia oris incommoda obstabunt. Corporis etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem, nisi liberalis, actionem habere optimam potest. Bona enim firmaque ut volumus uti licet: mala vel imbecilla et inhibet multa, ut *insurgere*, *exclamare;* et aliqua cogit, ut *submittere*, *deflectere*, et rasas fauces ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non frustra praecipitur. Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa partes, *vocem*, *gestumque*, quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, nobis est *de voce* dicere, cui etiam *gestus* accommodatur. In ea prima observatio est, *qualem habeas:* secunda, *quomodo utaris.* Natura vocis spectatur *quantitate* et *qualitate*. *Quantitas* simplicior est: in summa enim *grandis* aut *exigua* est: sed inter has extremitates mediae sunt species, et ab ima ad summam, ac retro, multi sunt gradus. *Qualitas* magis varia est; nam est et *candida*, et *fusca*, et *plena*, et *exilis*, et *lenis*, et *aspera*, et *contracta*, et *fusa*, et *dura*, et *flexibilis*, et *clara*, et *obtusa*. *Spiritus* etiam *longior*, *breviorque*. Nec causas, cur quidque eorum accidat, persequi, proposito operi necessarium est: eorumne sit differentia, in quibus aura illa concipitur?

an eorum, per quae velut organa meat? an ipsi propria natura? an prout movetur lateris pectorisve firmitas, an capitis plus adjuvet? nam opus est omnibus, sicut non oris modo suavitate, sed narium quoque, per quas, quod superest vocis, egeritur. Dulcis tamen esse debet, non exprobrans sonus. *Utendi* voce multiplex ratio. Nam praeter illam differentiam, quae est tripartita, *acutae*, *gravis*, *flexae:* tum *intentis*, tum *remissis*, tum *elatis*, tum *inferioribus modis*, opus est, *spatiis* quoque *lentioribus* aut *citatioribus*. Sed iis ipsis media interjacent multa: et, ut facies, quanquam ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam: ita *vox*, etsi paucas, quae nominari possint, continet species, *propria* cuique est: et non haec minus auribus, quam oculis illa dignoscitur. Augentur autem sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura: et negligentia minuuntur.

LIB. XII.

PROOEMIUM.

Ventum est ad partem operis destinati longe gravissimam. Cujus equidem onus si tantum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem vires meas. Sed initio pudor omittendi, quae promiseram, tenuit: mox, quanquam per singulas prope partes labor cresceret, ne perderem, quae jam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentavi. Quare nunc quoque, licet major quam unquam moles premat, tamen prospicienti finem mihi constitutum est vel deficere potius, quam desperare. Fefellit autem, quod initium a parvis ceperamus: mox velut aura sollicitante provecti longius, dum tantum nota illa, et plerisque ar-

tium scriptoribus tractata praecipimus, nec adhuc a litore procul videbamur, et multos circa velut iisdem se ventis credere ausos habebamus. Jam cum eloquendi rationem novissime repertam, paucissimisque tentatam ingressi sumus, rarus, qui jam procul a portu recessisset, reperiebatur. Postquam vero nobis ille, quem instituebamus, orator, a dicendi magistris dimissus, aut suo jam impetu fertur, aut majora sibi auxilia ex ipsis sapientiae penetralibus petit: quam in altum simus ablati, sentire coepimus. Nunc *coelum undique et undique pontus.* Unum modo in illa immensa vastitate cernere videmur M. Tullium, qui tamen ipse, quamvis tanta atque ita instructa nave hoc mare ingressus, contrahit vela, inhibetque remos, et de ipso demum genere dicendi, quo sit usurus perfectus orator, satis habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare, et assignabit officia. Ita nec antecedentem consequi possumus, et longius eundum est, ut res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, et vel tutioris audaciae est tentare, quibus paratior venia est.

LIB. XII. CAP. 1.

NON POSSE ORATOREM ESSE, NISI VIRUM BONUM.

Sit ergo nobis *orator*, quem instituimus, is, qui a M. Catone finitur, *vir bonus*, *dicendi peritus.* Verum id, quod ille posuit prius, etiam ipsa natura potius ac majus est, utique VIR BONUS. Id non eo tantum, quod, si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia; sed nos quoque ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni com-

paremus haec arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo, quod praecipue indulsisse homini videtur, quoque nos a ceteris animalibus separasse, non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi, sociam scelerum, adversam innocentiae, hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci, et egere omni ratione, satius fuisset, quam providentiae munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judicium meum. Neque enim tantum id dico, eum, qui sit orator, *virum bonum esse oportere:* sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Nam certe neque intelligentiam concesseris iis, qui, proposita honestorum ac turpium via, pejorem sequi malint; neque prudentiam iis, qui in gravissimas frequenter legum, semper vero malae conscientiae, poenas a semet ipsis improviso rerum exitu induantur. Quod si neminem *malum* esse, *nisi stultum* eundem, non modo a sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum: certe non fiet unquam stultus orator. Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: et cogitare optima simul ac deterrima non magis est unius animi, quam ejusdem hominis bonum esse ac malum. Tum illa quoque ex causa, quod mentem tantae rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum, ad quod accingitur. Quod si agrorum nimia cura, et sollicitior rei familiaris diligentia, et venandi voluptas, et dati spectaculis dies, multum studiis auferunt: (huic enim rei perit tempus, quodcunque alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, invidiam? quarum impotentissimae cogitationes somnos etiam ipsos, et illa per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac

tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: et jam, cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur. Quis inter haec literis, aut ulli bonae arti locus? Non hercle magis, quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non praecipue acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? Num igitur malis esse laudem curae putamus? Jam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu aequi bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique, ut maximam partem quaestionis eximam, demum id, quod nullo modo fieri potest, idem ingenii, studii, doctrinae, pessimo atque optimo viro: uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur unquam malus idem homo, et perfectus orator. Non enim perfectum est quidquam, quo melius est aliud. Sed, ne more Socraticorum nobismet ipsi responsum finxisse videamur, sit aliquis adeo contra veritatem obstinatus, ut audeat dicere, eodem ingenio, studio, doctrina praeditum, nihilo deteriorem futurum oratorem malum virum, quam bonum. Convincamus hujus quoque amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorem id agere, ut judici, quae proposita fuerint, vera et honesta videantur. Utrum igitur hoc facilius bonus vir persuadebit, an malus? Bonus quidem et dicet saepius vera atque honesta. Sed etiam si quando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falso haec affirmare conabitur, majore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex contemtu opinionis, et ignorantia recti, nonnunquam excidit ipsa simulatio. Inde immodeste proponunt, sine pudore affirmant. Sequitur in iis, quae certum est effici non posse, deformis pertinacia, et irri-

tus labor. Nam sicut in vita, ita in causis quoque, spes improbas habent. Frequenter autem accidit, ut his etiam vera dicentibus fides desit, videaturque talis advocatus, malae causae argumentum. Nunc de iis dicendum est, quae mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur. *Orator ergo Demosthenes non fuit?* atqui malum virum accepimus. *Non Cicero?* atqui hujus quoque mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna responsi invidia subeunda est, mitigandae sunt prius aures. Mihi enim nec *Demosthenes* tam gravi morum dignus videtur invidia, ut omnia, quae in eum ab inimicis congesta sunt, credam; cum et pulcherrima ejus in republica consilia, et finem vitae clarum legam. Nec *Marco Tullio* defuisse video in ulla parte civis optimi voluntatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus; integerrime provincia administrata; et repudiatus vigintiviratus; et civilibus bellis, quae in aetatem ejus gravissima inciderunt, neque spe neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus, id est, reipublicae, jungeret. Parum fortis videtur quibusdam: quibus optime respondit ipse, *non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis:* quod probavit morte quoque ipsa, quam praestantissimo suscepit animo. Quod si defuit his viris summa virtus: sic, quaerentibus, An oratores fuerint? respondebo, quomodo Stoici, si interrogentur, an sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? respondeant, Magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id, quod natura hominis summum habet, consecutos. Nam et Pythagoras, non *sapientem* se, ut qui ante eum fuerunt, sed *studiosum sapientiae* vocari voluit. Ego tamen secundum communem loquendi consuetudinem saepe dixi, dicamque, *perfectum oratorem* esse Ciceronem; ut amicos et *bonos viros*, et *prudentissimos* dicimus vulgo, quorum nihil nisi perfecte sapienti datur. Sed cum proprie, et ad legem ipsam veritatis loquendum erit, eum quaeram

oratorem, quem et ille quaerebat. Quanquam enim stetisse ipsum in fastigio eloquentiae fateor, ac vix, quid adjici potuerit, invenio, fortasse inventurus, quod adhuc abscissurum putem fuisse, (nam fere sic docti judicaverunt *plurimum in eo virtutum, nonnihil fuisse vitiorum:* et se ipse multa ex illa juvenili abundantia coercuisse testatur) tamen quando nec sapientis sibi nomen, minime sui contemtor, asseruit; et melius dicere, certe data longiore vita, et aetate ad componendum securiore, potuisset: non maligne crediderim, defuisse ei summam illam, ad quam nemo propius accessit. Et licebat, si aliter sentirem, fortius id et liberius defendere. An vero M. Antonius *neminem a se visum eloquentem*, quod tanto minus erat, professus est; ipse etiam M. Tullius *quaerit adhuc eum*, et tantum imaginatur ac fingit: ego non audeam dicere, aliquid in hac, quae superest, aeternitate inveniri posse, eo, quod fuerit, perfectius? Transeo illos, qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem *dormitare* interim dicit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt; nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus in locis insequuntur. Concedamus sane, (quod minime natura patiatur) repertum esse aliquem malum virum, summe disertum: nihilo tamen minus oratorem eum negabo. Nam nec omnibus, qui fuerint manu promti, viri fortis nomen concesserim, quia sine virtute intelligi non potest fortitudo. An ei, qui ad defendendas causas advocatur, non est opus fide, quam nec cupiditas corrumpat, nec gratia avertat, nec metus frangat? sed proditorem, transfugam, praevaricatorem donabimus oratoris illo sacro nomine? Quod si mediocribus etiam patronis convenit haec, quae vulgo dicitur, *bonitas:* cur non orator ille, qui nondum fuit, sed potest esse, tam sit moribus, quam dicendi virtute per-

fectus? Non enim forensem quandam instituimus operam, nec mercenariam vocem, nec (ut asperioribus verbis parçamus) non inutilem sane litium advocatum, quem denique *causidicum* vulgo vocant; sed virum, cum ingenii natura praestantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetustas cognoverit, singularem, perfectumque undique, optima sentientem, optimeque dicentem. In hoc quota pars erit, quod aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera compescet, aut in pecuniariis quaestionibus veritati contra calumniam aderit? Summus ille quidem in his quoque operibus fuerit, sed in majoribus clarius elucebit, cum regenda senatus consilia, et popularis error ad meliora ducendus. An non talem quendam videtur finxisse Virgilius, quem in seditione vulgi, jam faces et saxa jaculantis, moderatorem dedit?

> Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
> Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Habemus igitur ante omnia *virum bonum*, post haec adjecit *dicendi peritum*,

> Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

Quid? non in bellis quoque idem ille vir, quem instituimus, si sit ad proelium miles cohortandus, ex mediis sapientiae praeceptis orationem trahet? Nam quomodo pugnam ineuntibus, tot simul metus laboris, doloris, postremo mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas, et fortitudo, et honesti praesens imago successerit? Quae certe melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se, quamlibet custodiatur, simulatio: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac haereat, quoties ab animo verba dissentiunt. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Bonos nunquam honestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum

(nam iidem etiam prudentes erunt) inventio: quae etiamsi lenociniis destituta sit, satis tamen natura sua ornatur: nec quidquam non diserte, quod honeste, dicitur. Quare, juventus, immo omnis aetas, (neque enim rectae voluntati serum est tempus ullum) totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus: forsan et consummare contingat. Nam si natura non prohibet et esse virum bonum, et esse dicendi peritum: cur non aliquis etiam unus utrumque consequi possit? cur autem non se quisque speret fore illum aliquem? Ad quod si vires ingenii non suffecerint, tamen ad quem usque modum processerimus, meliores erimus ex utroque. Hoc certe prorsus eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitiis mentis posse misceri. Facultas dicendi, si in malos incidit, et ipsa judicanda est malum: pejores enim illos facit, quibus contingit. Videor mihi audire quosdam, (nec enim deerunt unquam, qui diserti esse, quam boni, malint) illa dicentes: Quid ergo tantum est artis in eloquentia? cur tu de coloribus, et difficilium causarum defensione, nonnihil etiam de confesso locutus es, nisi aliquando vis et facultas dicendi expugnat ipsam veritatem? Bonus enim vir non agit nisi bonas causas, eas porro etiam sine doctrina satis per se tuetur veritas ipsa. Quibus ego, cum de meo primum opere respondero, etiam pro boni viri officio, si quando eum ad defensionem nocentium ratio duxerit, satisfaciam. Pertractare enim, quo modo aut pro falsis, aut etiam pro injustis aliquando dicatur, non est inutile, vel propter hoc solum, ut ea facilius et deprehendamus, et refellamus; quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota, quae nocent, fuerint. Neque enim Academici, cum in utramque disserunt partem, non secundum alteram vivunt: neque Carneades ille, qui Romae audiente Censorio Catone non minoribus viribus contra justitiam dicitur disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, injustus ipse vir fuit. Verum et, *virtus* quid

sit, adversa ei *malitia* detegit: et *aequitas* fit ex *iniqui* contemplatione manifestior, et plurima contrariis probantur. Debent ergo oratori sic esse adversariorum nota consilia, ut hostium imperatori. Verum et illud, quod prima propositione durum videtur, potest afferre ratio, ut *vir bonus* in defensione causae velit auferre aliquando judici veritatem. Quod si quis a me proponi mirabitur, (quanquam non est haec mea proprie sententia, sed eorum, quos gravissimos sapientiae magistros aetas vetus credidit) sic judicet, pleraque esse, quae non tam factis, quam causis eorum, vel honesta fiant, vel turpia. Nam si *hominem occidere*, saepe virtus, *liberos necare*, nonnunquam pulcherrimum est; asperiora quaedam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur; ne hoc quidem nudum est intuendum, qualem causam vir bonus, sed etiam quare, et qua mente, defendat. Ac primum concedant mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando virum bonum, ut mendacium dicat, et quidem nonnunquam levioribus causis: ut in pueris aegrotantibus, utilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus: nedum si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriae fallendus: ut hoc, quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit, multa jam video posse evenire, propter quae orator bene suscipiat tale causae genus, quale, remota ratione honesta, non suscepisset. Nec hoc dico, quia severiores sequi placet leges, pro patre, fratre, amico periclitantibus; tametsi non mediocris haesitatio est, hinc *justitiae* proposita imagine, inde *pietatis:* nihil dubii relinquamus. Sit aliquis insidiatus tyranno, atque ob id reus: utrumne salvum eum nollet is, qui a nobis finitur, orator? an, si tuendum susceperit, non tam falsis defendet, quam qui apud judices malam causam tuetur? Quid si quaedam bene facta damnaturus est

judex, nisi ea non esse facta convicerimus: non vel hoc modo servabit orator non innocentem modo, sed etiam laudabilem vicem? Quid si quaedam justa natura, sed conditione temporum inutilia civitati sciemus: nonne utemur arte dicendi, bona quidem, sed malis artibus simili? Ad hoc nemo dubitabit, quin, si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse eos magis e republica sit, quam puniri. Si liqueat igitur oratori, futurum bonum virum, cui vera objicientur, non id aget, ut salvus sit? Da nunc, ut crimine manifesto prematur dux bonus, et sine quo vincere honeste civitas non possit: nonne ci communis utilitas oratorem advocabit? Certe Fabricius Cornelium Rufinum, alioqui et malum civem, et sibi inimicum, tamen, quia utilem sciebat ducem, imminente bello palam consulem suffragio suo fecit: atque id mirantibus quibusdam respondit, *A cive se spoliari malle, quam ab hoste venire.* Ita hic, si fuisset orator, non defendisset eundem Rufinum vel manifesti peculatus reum? Multa dici possunt similia, sed vel unum ex his quodlibet sufficit. Non enim hoc agimus, ut istud illi, quem formamus, viro saepe sit faciendum: sed ut, si talis coegerit ratio, sit tamen vera finitio, *oratorem esse virum bonum, dicendi peritum.* Praecipere vero ac discere quomodo etiam probatione difficilia tractentur, necessarium est. Nam frequenter etiam optimae causae similes sunt malis, et innocens reus multis verisimilibus premitur: quo fit, ut eadem actionis ratione sit defendendus, qua, si nocens esset. Jam innumerabilia sunt bonis causis malisque communia, *testes, literae, suspiciones, opiniones.* Non aliter autem verisimilia, quam vera, et confirmantur, et refelluntur. Quapropter, ut res feret, flectetur oratio, manente honesta voluntate.

LIB. XII. CAP. 2.

COGNOSCENDA ESSE ORATORI QUIBUS MORES FIRMANTUR.

QUANDO igitur orator est *vir bonus*, is autem citra virtutem intelligi non potest; virtus, etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est: MORES ante omnia oratori studiis erunt excolendi, atque omnis honesti justique disciplina pertractanda, sine qua nemo nec vir bonus esse, nec dicendi peritus potest. Nisi forte accedamus iis, qui natura constare mores, et nihil adjuvari disciplina putant: scilicet, ut ea quidem, quae manu fiunt, atque eorum etiam contemtissima, confiteantur egere doctoribus: virtutem vero, qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum est, obviam et illaboratam, tantum quia nati simus, habeamus. Abstinens erit, qui id ipsum, quid sit abstinentia, ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione purgaverit? Et justus, qui aequi bonique tractatum, qui leges, quae natura sunt omnibus datae, quaeque propriae populis et gentibus constitutae, non eruditiore aliquo sermone tractaverit? O quam istud parum putant, quibus tam facile videtur! Sed hoc transeo, de quo neminem, qui literas vel primis, ut aiunt, labris degustarit, dubitaturum puto; ad illud sequens revertar, ne dicendi quidem satis peritum fore, qui non et naturae vim omnem penitus perspexerit, et mores praeceptis ac ratione formarit. Neque enim frustra in tertio de Oratore libro, L. Crassus cuncta, quae *de aequo*, *justo*, *vero*, *bono*, deque iis, quae sunt contra posita, dicuntur, propria esse oratoris affirmat: ac philosophos, cum ea dicendi viribus tuentur, uti rhetorum armis, non suis. Idem tamen confitetur, ea jam esse a philosophia petenda, videlicet quia magis haec illi videtur in possessione earum re-

rum fuisse. Hinc etiam illud est, quod Cicero pluribus libris et epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere: ideoque aliquamdiu praeceptores eosdem fuisse morum atque dicendi. Quapropter haec exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim: quando non alia vitae secta longius a civilibus officiis, atque ab omni munere oratoris recessit. Nam quis philosophorum aut in judiciis frequens, aut clarus in concionibus fuit? Quis denique in ipsa, quam maxime plerique praecipiunt, reipublicae administratione versatus est? Atque ego illum, quem instituo, Romanum quendam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus, vere civilem virum exhibeat. Sed quia deserta ab iis, qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiae, non jam in actu suo atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt, id quod est oratori necessarium, nec a dicendi praeceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit. Evolvendi penitus auctores, qui de *virtute* praecipiunt, ut oratoris vita cum scientia divinarum rerum sit humanarumque conjuncta. Quae ipsae quanto majores ac pulchriores viderentur, si illas ii docerent, qui etiam eloqui praestantissime possent? Utinamque sit tempus unquam, quo perfectus aliquis (qualem optamus) orator hanc partem superbo nomine et vitiis quorundam bona ejus corrumpentium invisam, vindicet sibi, ac, velut rebus repetitis, in corpus eloquentiae adducat. Quae quidem cum sit in tres divisa partes, *naturalem*, *moralem*, *rationalem:* quae tandem non est cum oratoris opere conjuncta? Nam ut ordinem retro agamus, de ultima illa, quae tota versatur in verbis, nemo dubitaverit, si et proprietates vocis cujusque nosse, et ambigua aperire, et perplexa discernere, et de falsis judicare, et colligere ac resolvere, quae velis, oratoris

est. Quanquam ea non tam est minute atque concise in actionibus utendum, quam in disputationibus: quia non docere modo, sed movere etiam ac delectare audientes debet orator: ad quod impetu quoque et viribus ac decore est opus: ut vis amnium major est altis ripis, multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquae, et objectu lapillorum resultantis. Et ut palaestrici doctores illos, quos *numeros* vocant, non idcirco discentibus tradunt, ut his omnibus ii, qui didicerint, in ipso luctandi certamine utantur, (plus enim pondere et firmitate et spiritu agitur) sed ut subsit copia illa, ex qua unum aut alterum, cujus se occasio dederit, efficiant: ita haec pars dialectica, sive illam dicere malimus *disputatricem*, ut est utilis saepe et finitionibus, et comprehensionibus, et separandis, quae sunt differentia, et resolvenda ambiguitate, et distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando: ita si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus, et sectas ad tenuitatem suam vires ipsa subtilitate consumet. Itaque reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo graviore actu, quam parva quaedam animalia, quae in angustiis mobilia, campo deprehenduntur. Jam quidem pars illa *moralis*, quae dicitur *Ethice*, certe tota oratori est accommodata. Nam in tanta causarum (ut superioribus libris diximus) varietate, cum alia conjectura quaerantur, alia finitionibus concludantur, alia jure submoveantur, vel transferantur, alia colligantur, vel ipsa inter se concurrant, vel in diversum ambiguitate ducantur: nulla fere dici potest, cujus non parte in aliqua tractatus aequi ac boni reperiatur. Plerasque vero esse quis nescit, quae totae in sola qualitate consistant? In consiliis vero quae ratio suadendi est, ab honesti quaestione seposita? Quid illa etiam pars tertia, quae *laudandi* ac *vituperandi* officiis continetur? Nempe in tractatu recti pravique versatur. An de *justitia*, *for-*

titudine, *abstinentia*, *temperantia*, *pietate*, non plurima dicet orator? sed ille vir bonus, qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus, aurium tenus in usum linguae perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus, ita sentiet, nec in cogitando ita laborabit, sed, quod sciet, vere dicet. Cum sit autem omnis generalis quaestio speciali potentior, quia universo pars continetur, non utique accedit parti, quod universum est: profecto nemo dubitabit, generales quaestiones in illo maxime studiorum more versatas. Jam vero cum sint multa propriis brevibusque comprehensionibus finienda, unde etiam status causarum dicitur *finitivus:* nonne ad id quoque instrui ab iis, qui plus in hoc studii dederunt, oportet? Quid? non quaestio juris omnis, aut verborum proprietate, aut aequi disputatione, aut voluntatis conjectura continetur? quorum pars ad rationalem, pars ad moralem tractatum redundat. Ergo natura permixta est omnibus istis oratio, quae quidem oratio est vere. Nam ignara quidem hujusce doctrinae loquacitas erret, necesse est, ut quae vel nullos, vel falsos duces habeat. Pars vero *naturalis*, cum est ad exercitationem dicendi tanto ceteris uberior, quanto majore spiritu de divinis rebus, quam humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse (ut docuimus) oratio potest, totum complectitur. Nam si regitur providentia mundus, administranda certe bonis viris erit respublica. Si divina nostris animis origo, tendendum ad virtutem: nec voluptatibus terreni corporis serviendum. An haec non frequenter tractabit orator? Jam *de auguriis*, *responsis*, *religione* denique omni, de quibus maxima saepe in senatu consilia versata sunt, non erit ei disserendum, si quidem (ut nobis placet) futurus est vir civilis idem? Quae denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis? Haec si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem et Periclem, cujus eloquentiae, eti-

amsi nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quandam incredibilem cum historici, tum etiam, liberrimum genus hominum, comici veteres tradunt; Anaxagorae physici constat auditorem fuisse: et Demosthenem, principem omnium Graeciae oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius, non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiae spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturae finibus terminasset. Verum ex hoc alia mihi quaestio exoritur, quae secta conferre plurimum eloquentiae possit: quanquam ea non inter multas potest esse contentio. Nam inprimis nos *Epicurus* a se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet. Neque vero *Aristippus*, summum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborem adhortetur. *Pyrrho* quidem quas in hoc opere partes habere potest, cui judices esse, apud quos verba faciat, et reum, pro quo loquatur, et senatum, in quo sit dicenda sententia, non liquebit? *Academiam* quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat. Adjiciunt loco probationis, quod ea praestantissimos in eloquentia viros ediderit. *Peripatetici* studio quoque se quodam oratorio jactant. Nam theses dicere exercitationis gratia fere est ab his institutum. *Stoici*, sicut copiam nitoremque eloquentiae fere praeceptoribus suis defuisse concedant, necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut concludere subtilius contendunt. Sed haec inter ipsos, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. Oratori vero nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus atque praestantius, ad quod ipse tendit, et cujus est velut candidatus, si quidem est futurus cum vitae, tum etiam eloquentiae laude

perfectus. Quare in exemplum bene dicendi facundissimum quemque proponet sibi ad imitandum: moribus vero formandis quam honestissima praecepta, rectissimamque ad virtutem viam deliget. Exercitatione quidem utetur omni, sed tamen erit plurimus in maximis quibusque ac natura pulcherrimis. Nam quae potest materia reperiri ad graviter copioseque dicendum magis abundans, quam *de virtute*, *de republica*, *de providentia*, *de origine animorum*, *de amicitia?* Haec sunt, quibus mens pariter atque oratio insurgant: *quae vere bona*, *quid mitiget metus*, *coerceat cupiditates*, *eximat nos opinionibus vulgi*, *animumque coelestem.* Neque ea solum, quae talibus disciplinis continentur, sed magis etiam, quae sunt tradita antiquitus, dicta, ac facta praeclare, et nosse, et animo semper agitare conveniet. Quae profecto nusquam plura majoraque, quam in nostrae civitatis monumentis reperientur. An fortitudinem, justitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemtum doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Graeci praeceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis. Tantumque non cognatis id e rebus admoneri sciet, qui non modo proximum tempus, locumque praesentem intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam, spatium vitae honestae, et curriculum laudis existimet. Hinc mihi ille justitiae haustus bibat, hinc sumtam libertatem in causis atque consiliis praestet. Neque erit perfectus orator, nisi qui honeste dicere et sciet, et audebit.

LIB. XII. CAP. 4.

NECESSARIAM ORATORI COGNITIONEM HISTORIARUM.

Inprimis vero abundare debet orator *exemplorum copia*, cum veterum, tum etiam novorum: adeo ut non ea modo, quae conscripta sunt historiis, aut sermonibus velut per manus tradita, quaeque quotidie aguntur, debeat nosse; verum ne ea quidem, quae sunt a clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut testimoniorum, aut etiam judicatorum obtinent locum: sed haec quoque aut vetustatis fide tuta sunt, aut ab hominibus magnis praeceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quam plurima: unde etiam senibus auctoritas major est, quod plura nosse et vidisse creduntur: quod Homerus frequentissime testatur. Sed non est exspectanda ultima aetas, cum studia praestent, ut, quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam praeteritis seculis vixisse videamur.

LIB. XII. CAP. 5.

QUAE SUNT ORATORIS INSTRUMENTA.

Haec sunt, quae me redditurum promiseram, *instrumenta*, non artis, ut quidam putaverunt, sed ipsius *oratoris*. Haec arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus, accedente verborum figurarumque facili copia, et inventionis ratione, et disponendi usu, et memoriae firmitate, et actionis gratia. Sed plurimum ex his valet *animi praestantia*, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium auctoritas ultra debitam reverentiam tardet. Nam

ut abominanda sunt contraria his vitia confidentiae, temeritatis, improbitatis, arrogantiae: ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit: ut si des arma timidis et imbellibus. Invitus mehercle dico, quoniam et aliter accipi potest, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile, et quae virtutes facillime generet, esse interim adversam, multisque in causa fuisse, ut bona ingenii studiique in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. Sciat autem, si quis haec, forte minus adhuc peritus distinguendi vim cujusque verbi, leget, non probitatem a me reprehendi, sed verecundiam, quae est timor quidam, reducens animum ab iis, quae facienda sunt; unde confusio, et coepti poenitentia, et subitum silentium. Quis porro dubitet vitiis adscribere affectum, propter quem facere honeste pudet? Neque ego rursus nolo eum, qui sit dicturus, et sollicitum surgere, et colore mutari, et periculum intelligere: quae si non accident, etiam simulanda erunt. Sed intellectus hic sit operis, non metus: moveamurque, non concidamus. Optima est autem emendatio verecundiae, *fiducia:* et quamlibet imbecilla frons, magna *conscientia* sustinetur. Sunt et naturalia, ut supra dixi, quae tamen et cura juvantur instrumenta, *vox*, *latus*, *decor:* quae quidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores aetas nostra copiosiores: sed cum diceret, eminere inter aequales *Trachallus* videbatur: ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus praestantia, vox quidem, non ut Cicero desiderat, paene tragoedorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragoedos. Certe cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent; et auditum eum et intellectum, et, quod agentibus ceteris contumeliosissimum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.

Sed hoc votum est, et rara felicitas: quae si non adsit, sane sufficiat, ab iis, quibus quis dicit, audiri. Talis esse debet orator, et haec scire.

LIB. XII. CAP. 11.

QUAE POST FINEM STUDIA.

Dicendi virtutibus usus orator in judiciis, consiliis, concionibus, senatu, in omni denique officio boni civis, finem quoque dignum et optimo viro, et opere sanctissimo faciet: non quia prodesse unquam satis sit, et illa mente atque illa facultate praedito non conveniat operis pulcherrimi quam longissimum tempus: sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid pejus, quam fecerit, faciat. Neque enim scientia modo constat orator, quae augetur annis, sed voce, latere, firmitate; quibus fractis aut imminutis aetate seu valetudine, cavendum est, ne quid in oratore summo desideretur, ne intersistat fatigatus, ne quae dicet, parum audiri sentiat, ne se quaerat priorem. Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, *Domitium Afrum* valde senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii (quod indignum videatur) riderent, alii erubescerent: quae occasio illis fuit dicendi, *malle eum deficere, quam desinere.* Neque erant illa qualiacunque mala, sed minora. Quare ante, quam in has aetatis veniat insidias, receptui canet, et in portum integra nave perveniet. Neque enim minores eum, cum id fecerit, studiorum fructus sequentur. Aut ille monumenta rerum posteris, aut, ut L. Crassus in libris Ciceronis destinabat, quaerentibus tradet, aut eloquentiae componet artem, aut pulcherrimis vitae

praeceptis dignum os dabit. Frequentabunt vero ejus domum optimi juvenes more veterum, et veram dicendi viam velut ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiae parens, et ut vetus gubernator, litora et portus, et quae tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis, ratis poscat, docebit: non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic ad se Caelium deductum a patre Cicero profitetur. Sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensque. Ac nescio an eum tunc beatissimum credi oporteat fore, cum jam secretus et consecratus, liber invidia, procul a contentionibus, famam in tuto collocarit, et sentiat vivus eam, quae post fata praestari magis solet, venerationem, et quid apud posteros futurus sit, videbit. Conscius sum mihi, quantum mediocritate valui, quaeque antea scierim, quaeque operis hujusce gratia potuerim inquirere, candide me atque simpliciter in notitiam eorum, si qui forte cognoscere voluissent, protulisse. Atque id viro bono satis est, docuisse quod scierit. Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere; qui eundem virum bonum esse, et dicendi peritum velim: aut multa; qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoque praecepta, et scientiam juris civilis, praeter ea quae de eloquentia tradebantur, adjecerim: quique haec operi nostro necessaria esse crediderint, velut pondus rei perhorrescant, ac desperent ante experimentum. Sed hi primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quae velit: cum maria transire, siderum cursus numerosque cognoscere, mundum ipsum paene dimetiri, minores, sed difficiliores, artes potuerint. Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit hoc proposito praemio labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic

quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter neque impervium, neque saltem durum putent. Nam id, quod prius, quodque majus est, ut boni viri simus, voluntate maxime constat: quam qui vera fide induerit, facile easdem, quae virtutem docent, artes accipiet. Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt quae premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod repugnamus. Brevis est institutio vitae honestae beataeque, si credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit: adeoque discere meliora volentibus promtum est, ut vere intuendi mirum sit illud magis, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circumfusus nobis spiritus volucribus convenit: ita certe facilius esse oportebat, secundum naturam, quam contra eam vivere. Cetera vero, etiamsi aetatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiae metiamur, abunde multos ad discendum annos habent. Omnia enim breviora reddet ordo, et ratio, et modus. Sed culpa est in praeceptoribus prima, qui libenter detinent quos occupaverunt, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit quod pollicentur, partim etiam inscientia tradendi, vel negligentia. Proxima in nobis, qui morari in eo, quod novimus, quam discere quae nondum scimus, melius putamus. Nam ut de nostris potissimum studiis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum, (ut de his, a quibus magna in hoc pars aetatis absumitur, taceam) declamitare in schola, et tantum laboris in rebus falsis consumere, cum satis sit modico tempore imaginem veri discriminis, et dicendi leges comperisse? Quod non dico, quia sit unquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non sit in una ejus specie consenescendum. Cognoscere enim, et praecepta vivendi perdiscere, et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Discendi ratio talis, ut non

multos annos poscat. Quaelibet enim ex iis artibus, quarum prius habui mentionem, in paucos libros contrahi solet; adeo infinito spatio ac traditione opus non est. Reliqua est, quae vires cito facit, consuetudo. Rerum cognitio quotidie crescit, et tamen quam multorum ad eas librorum necessaria lectio est? quibus aut rerum exempla ab historicis, aut dicendi ab oratoribus petuntur. Philosophorum quoque consultorumque opiniones, sicuti alia, velimus legere necessarium est. Quae quidem possumus omnia: sed breve nobis tempus non facimus. Quantulum enim studiis impartimur? Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt. Adjice tot genera ludendi, et insanam corporis curam. Trahat inde peregrinatio, rura, calculorum anxiae sollicitudines, multae causae libidinum, et vinum, et flagitiosus omni genere voluptatum animus. Ne ea quidem tempora idonea, quae supersunt. Quae si omnia studiis impenderentur, jam nobis longa aetas, et abunde satis ad discendum spatia viderentur, et diurna tantum computantibus tempora: et noctes, quarum bona pars omni somno longior est, adjuvarent. Nunc computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus viximus. Nec vero si Geometrae, et Grammatici, ceterarumque artium professores, omnem suam vitam, quamlibet longa fuerit, in singulis artibus consumserunt, sequitur, ut plures quasdam vitas ad plura discenda desideremus. Neque illi didicerunt haec usque in senectutem, sed ea sola didicisse contenti fuerunt, ac tot annos in utendo, non in percipiendo exhauserunt. Ceterum ut de *Homero* taceam, in quo nullius non artis aut perfecta, aut certe non dubia, vestigia reperiuntur; ut *Eleum Hippiam* transeam, qui non liberalium modo disciplinarum prae se scientiam tulit, sed vestem, et annulum, crepidasque, quae omnia manu sua fecerat, in usu habuit, atque ita se praeparavit, ne cujus alterius ope egeret, neve ullius rei:

Gorgias quoque summae senectutis, id quaerere auditores, de quo quisque vellet, jubebat. Quae tandem ars digna literis *Platoni* defuit? Quot seculis *Aristoteles* didicit, ut non solum quae ad philosophos atque oratores pertinent, scientia complecteretur, sed animalium satorumque naturas omnes perquireret? Illis enim haec invenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt. Tot nos praeceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla forte nascendi aetas felicior, quam nostra, cui docendae priores elaboraverunt. *Marcus Censorius Cato*, idem orator, idem historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiae, tantas domi contentiones, rudi seculo, literas Graecas aetate jam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quae senes concupissent. Quam multa, immo paene omnia tradidit *Varro?* Quod instrumentum dicendi *M. Tullio* defuit? Quid plura? cum etiam *Cornelius Celsus*, mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus. At perficere tantum opus, arduum est, et nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, non capere id rerum naturam, ut quidquid non est factum, ne fieri quidem possit: cum omnia, quae magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primum efficerentur, habuerint. Quantum enim Poesis ab Homero et Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia a Demosthene atque Cicerone. Denique quidquid est optimum, ante non fuerat. Verum etiamsi quis summa desperet, (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, praeceptor, non deerunt?) tamen est (ut Cicero ait) *pulchrum in secundis tertiisque consistere.* Neque enim si quis Achillis gloriam in bellicis consequi non potest, Ajacis aut Diomedis laudem aspernabitur: neque qui

Homeri non, Tyrtaei. Quin immo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur: ii ipsi, qui sunt, optimi non fuissent: neque post Lucretium ac Macrum Virgilius, neque post Crassum et Hortensium Cicero, sed nec alii postea vicerint. Verum ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. An Pollio et Messala, qui jam Cicerone arcem tenente eloquentiae, agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt? Alioqui pessime de rebus humanis perductae in summum artes mererentur, si quod optimum fuisset, defuisset. Adde quod magnos modica quoque eloquentia parit fructus: ac si quis haec studia utilitate sola metiatur, paene illi perfectae par est. Neque erat difficile, vel veteribus vel novis exemplis palam facere, non aliunde majores honores, opes, amicitias, laudem praesentem, futuram, hominibus contigisse: si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cujus tractatus atque ipsa possessio plenissimam studiis gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, more eorum, qui a se non virtutes, sed voluptatem, quae fit ex virtutibus, peti dicunt. Ipsam igitur orandi majestatem, qua nihil dii immortales melius homini dederunt, et qua remota muta sunt omnia, et luce praesenti et memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima: quod facientes, aut evademus in summum, aut certe multos infra nos videbimus.

M. T. CICERO.

Marcus Tullius Cicero, patriae suae et omnium literarum laus et gloria, natus est in villa *Arpinate*, anno urbis conditae 648. Vitam ejus illustrem e veteribus, ne perditos *Tullii Tyronis* et *Cornelii Nepotis* libros memorem, *Plutarchus* scripsit, et brevius *Aurelius Victor*, cap. 71. Inter recentiores *C. Middletonius*. In praesenti annotare suffecerit, Consulatum gessisse anno u. c. 691. et *Catalinae* furoribus patriam feliciter liberasse. Ab eo tempore missum est in exsilium anno 696, sed mense decimo sexto post, omnium consensu, atque *Italiae humeris*, in urbem reportatum, praefuisse *Ciliciam* cum imperio anno 703. Hinc cum semper omni ope Reipublicae partes, quantum potuerat, in bello civili tutatus esset, a *Caesare* victore veniam consecutus; sed tandem Triumvirorum vi, *Antonii* maxime, adversus quem in Philippicis constantissime et gravissime verba fecerat, oppressum, *Octavio Augusto*, qui Ciceronis suffragio Consulatum acceperat, aliquamdiu frustra obnitente, proscriptum misereque obtruncatum, periisse septimo Id. Decembris, anno post *C. Caesarem* in senatu transfossum, qui erat u. c. 711. ante *Christum* 43.

Verisssime prodidit Velleius, I. 17. "*perfectum prosae eloquentiae decus sub principe operis sui Tullio erupisse:*" atque S. Hieronymus, "*in arce eum Romanae stetisset eloquentiae.*" Quae enim vis, quae suavitas, quanta copia in ejus oratione! quae dignitas, quanta rursus abundantia rerum, honestas sententiarum; cumque familiariter agit cum amicis ac necessariis suis, quantus in simplicitate inimitabili nitor, quantus delectus verborum, ecquod porro doctrinae genus, quae pars, quam ille ingenio suo non dicam attigit, sed mirifice illustravit et amplificavit! quid tam abstrusum aut difficile, quod pro illo usu rerum et doctrinae, qua abundabat, ubertate non potuerit explicare facillime, atque quam pulcherrimis luminibus exornare! Ex innumerabili autem multitudine eorum, quibus admirabilis semper CICERO visus est, unum duntaxat adscribemus testimonium Plinii, VII. 30 Hist. *Salve primus omnium parens Patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundia latinarumque literarum parens: atque ut Dictator* Caesar, *hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii.*

Fabricii Bib. Lat: Vol. 1. Cap. viii.

M. T. CICERO.

PROOEMIUM.[1] LIB. I. DE INVENTIONE.[2]

DE ORIGINE, USU, ET ABUSU ELOQUENTIAE.

SAEPE et multum hoc mecum cogitavi, bonine, an mali plus attulerit hominibus, et civitatibus, copia dicendi, ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostrae reipublicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria, propter vetustatem, remotas ex literarum monumentis repetere instituo: multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo tum animi ratione, tum facilius eloquentia, comparatas. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis

[1] Prooemium.] "De *Gloria* librum ad te misi, et in eo procemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo *volumen prooemiorum:* ex eo eligere soleo, cum aliquod *συγγραμμα* institui. Itaque jam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conjeci id in eum librum quem tibi misi. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi, et tibi misi." *Cic. ad Atticum.* XVI.

[2] Inventione.] Libri duo, qui vulgo *De Inventione* inscribuntur, soli aetatem tulere e libris quatuor, quos fecerat adolescens *De Arte Rhetorica.*

alitur? qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his pugnare possit, is mihi vir et suis, et publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur.

Ac si volumus hujus rei, quae vocatur eloquentia, sive artis, sive studii, sive exercitationis cujusdam, sive facultatis a natura profectae considerare principium; reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque ab optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu ferino vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisquam inspexerat liberos: non jus aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inscitiam, caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et sapiens, cognovit, quae materia esset, et quanta ad maximas res opportunitas animis inesset hominum, si quis eam posset elicere, et praecipiendo meliorem reddere: qui dispersos homines in agris, et in tectis sylvestribus abditos, ratione quadam compulit in unum locum, et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus, mites reddidit, et mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret, et ad diversas vitae rationes traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, et justitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos, communis commodi causa, sed etiam vitam amit-

tendam existimarent; qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere: ut, inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari, et sua voluntate a jucundissima consuetudine recederet, quae praesertim jam naturae vim obtineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic et nata, et progressa longius eloquentia videtur: et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata.

Postquam vero commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consecuta est; tum ingenio freta malitia, pervertere urbes, et vitas hominum labefactare assuevit. Atque hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere; sed cum a summis viris maximae res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis cum saepe a mendacio contra verum homines stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter injurias civium resistere audacibus, et opitulari suis quisque necessariis cogerentur. Itaque cum in dicendo saepe par, nonnunquam etiam superior visus esset is, qui, omisso studio sapientiae, nihil sibi praeter eloquentiam comparasset, fiebat ut et multitudinis, et suo judicio dignus, qui rempublicam gereret, videretur. Hinc nimirum non injuria, cum ad gubernacula reipublicae temerarii, atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii, atque invidiae

suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa, et tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea caetera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse: hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat retinendum, et studiosius adaugendum.

Nam quo indignius rem honestissimam, et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas, et audacia, summo cum reipublicae detrimento; eo studiosius, et illis resistendum fuit, et reipublicae consulendum. Quod nostrum illum non fugit Catonem, neque Laelium, neque horum (ut vere dicam) discipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat summa virtus, et summa virtute amplificata auctoritas, et, quae his rebus ornamento, et reipublicae praesidio esset, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim, et publice perverse abutuntur: sed eo quidem vehementius; ne mali magno cum detrimento bonorum, et communi omnium pernicie plurimum possint: cum praesertim hoc unum sit, quod ad omnes res et privatas, et publicas maxime pertineat; hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita jucunda fiat. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia. Hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certissimum, ac tutissimum praesidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, cum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat.

PROOEM. LIB. II. DE INVENTIONE.

CICERO DE SCRIPTIS SUIS RHETORICIS.

Crotoniatae quondam, cum florerent omnibus copiis, et in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxim, qui tum longe caeteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et caeteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam, propter fani religionem, remansit; et, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatae, qui, cum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim eum, si, quo in génere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. (Etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus, corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt.) Cum puerorum igitur formas, et corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare, qua sint illae dignitate, potes ex his suspicari. Praebete igitur mihi quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatae publico de consilio virgines unum in locum condux-

erunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetae memoriae tradiderunt, quod ejus essent judicio probatae, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque, tanquam caeteris non sit habitura, quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur.

Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cujus omnes partes, quocunque essent in genere, exprimendae nobis necessario viderentur: sed omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus, et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex iis enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia nobis visa est, aut a bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur; aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bene praecepto duceremur. Quod si in caeteris a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent; non tantopere in vitiis perseverarent; aliquando ex inscientia levius laborarent. Ac si par in nobis hujus artis, atque in illo picturae scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam illius pictura nobilis eniteret. Ex majore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, et ex eo numero virginum, quae tum erant, eligere potuit: nobis omnium quicunque fuerunt, ab ultimo principio hujus praeceptionis, usque ad hoc tempus, expositis copiis, quod-

cunque placeret, eligendi potestas fuit. Ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cujusque praecepta magna conquisita cura perspicue scripsit atque enodata diligenter exposuit: ac tantum inventoribus ipsis suavitate, et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipse, et sese ipsum nobis, et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut caeteros, et seipsum per se cognosceremus. Ab hoc autem qui profecti sunt, quanquam in maximis philosophiae partibus operae plurimum consumpserunt, sicut et ipse, cujus instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitulati sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates: cujus ipsius quam constet esse artem, non invenimus. Nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus, et ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus. Quod si ea, quae in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt quanto studio electa sunt, profecto neque nos, neque alios industriae nostrae poenitebit. Sin autem temere aliquid alicujus praeteriisse, aut non satis eleganter secuti videbimur; docti ab aliquo, facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte, et diu perseverasse, turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum.

PROOEM. LIB. I. DE ORATORE.[1]

DE STUDIO ELOQUENTIAE.

Cogitanti mihi saepenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quincte frater, illi videri solent, qui in optima republica; cum et honoribus et rerum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit tempus illud, cum mihi quoque initium requiescendi, atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi, fore justum, et prope ab omnibus concessum esse arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor, et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum, cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam qui locus quietis, et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus, atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas interque nos recolendas. Nam prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris: et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen, atque discrimen: et hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui, per nos a communi peste depulsi; in nosmetipsos redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris: et quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel respublica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam: Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam

[1] De Oratore.] Tres sunt *Dialogi de Oratore*, ad *Quintum Fratrem*, quos ipse Cicero laudare non dubitavit; et est iis nihil excellentius in hoc genere.

neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest, neque voluntate.

Ac mihi quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti, quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam, quocumque te animo, et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam, rerum gestarum vel utilitate, vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una civitate vel praestantissimos pene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Jam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rempublicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam majorum exstiterunt; cum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac, ne quis forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet: convertat animum, et ipsa artium genera circumspiciat, quique in iis floruerint, quamque multi: sic facillime, quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, judicabit.

Neque enim te fugit, laudatarum artium omnium procreatricem quandam, et quasi parentem, eam, quam φιλοσοφιαν Graeci vocant, ab hominibus doctissimis judicari: in qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate, et copia, fuerint: qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecumque essent, vel scientiae pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, iis, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et quam recondita in ar-

te et multiplici, subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae vehementius videatur, quin, quod voluerit, consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim, et materiam, scientia, et cogitatione comprehenderit? Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati, minimam copiam poetarum egregiorum existitisse: atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter et ex nostrorum, et Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poetae boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia caeterarum artium studia fere reconditis, atque abditis e fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam inusu, atque in hominum more et sermone versatur: ut in caeteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia, sensuque disjunctum: in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere.

Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures caeteris artibus inservire aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque, ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est, et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui

neque exercitationis ullam viam, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum litteris, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo et varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam quam suo quisque studio assecutus esset, adjungeretur usus frequens qui omnium magistrorum praecepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, proposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero, (ut multis rebus possumus judicare) nostrorum hominum multum caeteris omnium gentium praestiterunt.

Quibus de causis, quis non jure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis, esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda est: et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis exprimenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiaeque, et eruditio libero digna, celeritasque, et brevitas et respondendi, et lacessendi, subtili venustate, atque urbanitate conjuncta. Tenenda praeterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis:

neque legum, aut juris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione, ac varietate moderanda est: quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars, et scena declarat; in qua cum omnes in oris, et vocis, et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria, quae nisi custos inventis, cogitatisque rebus, et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si praeclarissima fuerint in oratore, peritura. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, caeterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, et redundet oportet oratio: quae, nisi subest res ab oratore percepta, et cognita, inanem quandam habet elocutionem, et paene puerilem.

Nunc repetam ea, quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et omni dignitate principum, disputatione esse versata. Cum vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi jam debilitarique videretur; dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse. Venisse eodem, socer ejus qui fuerat, Quintus Mucius dicebatur, et M. Antonius, homo et consilio-

rum in republica socius, et summa cum Crasso familiaritate conjunctus. Exierant autem cum ipso Crasso adolescentes duo et Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem majores natu dignitatis suae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. Hi primo die de temporibus illis, deque universa republica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata, et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent. Eo autem omni sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut cum lauti accubuissent tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis; eaque esset in homine jucunditas, et tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. Postero autem die, cum illi majores natu satis quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat; tum Scaevolam duobus spatiis tribusve factis, dixisse, Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? Nam me haec tua platanus admonuit? quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates; quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse: sed, quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam, atque ita illa, quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. Tum Crassum, Immo vero commodius etiam; pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse dicebat.

Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse. Qui cum ita esset

exorsus; non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam jam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum anteponerentur, sed cum majoribus natu compararentur. Neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velis: unde autem velis, deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio, et perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris, quid esse potest in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero jam ad illa summa veniamus, quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam constitutis

civitatibus, leges, judicia, jura describere? Ac, ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi; Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione, et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universae reipublicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes: atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis.

PROOEM. LIB. III. DE ORATORE.

IN L. CRASSI MORTEM.

Instituenti mihi, Quincte frater, eum sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam, molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte extincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc, et superiore libro continetur. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat, *videndum sibi aliud esse consilium; illo senatu se rempublicam gerere non posse:* mane idibus Septembris et ille, et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi cum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quanquam hoc Crasso, cum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum judicatum, cae-

teros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim casum, atque orbitatem senatus: cujus ordinis a consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis: neque vero esse mirandum, si cum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. Hic cum homini et vehementi, et diserto, et in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, et graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. *An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani concideris, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt caedenda, si Crassum vis coercere. Haec tibi est excidenda lingua: qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.*

Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium ab eo dicta esse constabat: sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis et gravissimis verbis, "Ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus neque consilium reipublicae, neque fidem defuisse," ab eo dictam: et eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) scribendo adfuisse. Illa tanquam cycnea fuit divini hominis vox, et oratio, quam quasi expectantes, post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contuëremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumptus.

O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones: quae in medio spatio

saepe franguntur, et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt! Nam, quamdiu Crassi fuit, ambitionis labore, vita districta, tamdiu privatis magis officiis, et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicae dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu ad summam auctoritatem dabat, is ejus omnem spem, atque omnia vitae consilia morte pervertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus: sed ii tamen rempublicam casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

Sed quoniam attigi cogitatione vim, varietatemque fortunae, non vagabitur oratio mea longius, atque eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre coepimus, continentur. Quis enim non jure beatam L. Crassi mortem illam, quae est a multis saepe defleta, dixerit, cum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere collocuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum, virum omni laude praestantem, cum sibi non incolumem fortunam, sed exilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. Jam Marci Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rempublicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Julii caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum L. Julii fratris capite jacuit; ut

ille, qui haec non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul extinctus esse videatur. Neque enim propinquum suum, maximi animi virum, Publicum Crassum, suapte interfectum manu, neque collegae sui, pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestae respersum esse vidit: cui moerori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles, miserosque casus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus ejectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiae flamma fuisset, quibuscum privatus conjunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate: cui quidem ad summam gloriam eloquentiae florescenti ferro erepta vita est, et poena temeritatis non sine magno reipublicae malo constituta.

Ego vero te, Crasse, cum vitae flore, tum mortis opportunitate, divino consilio et ortum, et extinctum esse arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi constantiaque tua civilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut siqua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriae spectatorem coegisset: neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam propter admistam civium caedem, bonorum victoria moerori fuisset.

Mihi quidem, Quincte frater, et eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quae nosmetipsi ob amorem in rempublicam incredibilem, et singularem pertulimus, ac sensimus, cogitanti, sententia saepe tua vera, ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos, tamque praecipites casus clarissimorum hominum, atque optimorum virorum, me semper ab omni contentione, ac dimicatione revocasti. Sed quoniam haec jam neque in integro nobis esse possunt, et summi labores nostri,

magna compensati gloria, mitigantur, pergamus ad ea solatia, quae non modo sedatis molestiis jucunda, sed etiam haerentibus, salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum, ac paene postremum memoriae prodamus: atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam, debitamque referamus.

PROOEM. LIB. I. ACADEM. QUAEST.[1]

VARRONI PHILOSOPHIAM COMMENDAT CICERO.

In Cumano nuper cum mecum Atticus noster esset, nuntiatum est nobis a M. Varrone, venisse eum Roma pridie vesperi, et nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse. Quod cum audivissemus, nullam moram interponendam putavimus, quin videremus hominem, nobiscum et studiis iisdem, et vetustate amicitiae conjunctum. Itaque confestim ad eum ire perreximus: paullumque cum ejus villa abessemus, ipsum ad nos venientem vidimus: atque illum complexi (ut mos amicorum est) satis eum longo intervallo ad suam villam reduximus.

Hic pauca primo, atque ea, percunctantibus nobis, ecquid forte Romae novi: Atticus, omitte ista, quae nec percunctari, nec audire sine molestia possumus, quaeso, inquit: et quaere potius, ecquid ipse novi. Silent enim diutius Musae Varronis, quam solebant:

[1] Quaest.] Ex *libris Academicis*, sive ut vulgo inscribuntur, *Academicarum Quaestionum libris quatuor*, quos ad M. Varronem Cicero scripserat, extant *primus* et *quartus*. Sed quartus est potius *secundus primae editionis*, ab auctore inscriptus *Lucullus*. Duos enim libros Academicos primo scripserat Cicero, Catulum et Lucullum. Hos deinde contulit in libros quatuor et ad Varronem misit. Postea duos quoque illos edidit praemissis novis prooemiis, quibus Catulus et Lucullus laudantur. Ex editione prima interiit Liber primus, ex altera. cap. 2, 3, 4.

nec tamen istum cessare, sed celare, quae scribat, existimo. Minime vero, inquit ille: intemperantis enim esse arbitror, scribere quod occultari velit. Sed habeo opus magnum in manibus; quod jampridem ad hunc eum ipsum (me autem dicebat) quaedam institui, quae et sunt magna sane, et limantur a me politius. Et ego, ista quidem, inquam, Varro, jam diu expectans, non audeo tamen flagitare. Audivi enim e Libone nostro, cujus nosti studium (nihil enim ejusmodi celare possumus) non ea te intermittere, sed accuratius tractare, nec de manibus unquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus nunquam in mentem venit a te requirere: sed nunc, posteaquam sum ingressus rès eas, quas tecum simul didici, mandare monumentis, philosophiamque veterem illam, a Socrate ortam, Latinis literis illustrare; quaero, quid sit, cur, cum multa scribas, genus hoc praetermittas; praesertim cum et ipse in eo excellas, et id studium, totaque ea res longe caeteris et studiis et artibus antecedat.

Tum ille, Rem a me saepe deliberatam, et multum agitatam requiris. Itaque non multum haesitans respondebo: sed ea dicam, quae mihi sunt in promptu, quod ista ipsa de re multum, ut dixi, et diu cogitavi. Num cum philosophiam viderem diligentissime literis Graecis explicatam, existimavi, si qui de nostris ejus studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius, quam nostra lecturos: sin a Graecorum artibus, et disciplinis abhorrerent, ne haec quidem curaturos, quae sine eruditione Graeca intelligi non possunt. Itaque ea nolui scribere, quae nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent. Sed meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto (id est ad Graecos ire jubeo) ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possent, ea, quantum potui, (nihil enim magnopere meorum miror) feci, ut essent nota nostris: a Graecis enim peti non poterant.

Tum ego, Sunt, inquam, ista, Varro. Nam nos, in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui, et ubi essemus, agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum; tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum et locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumque poetis nostris, omninoque Latinis et literis luminis attulisti, et verbis: atque ipse varium, et elegans omni fere numero poema fecisti: philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum.

Ego autem (dicam enim, ut res est) dum me ambitio, dum honores, dum causae, dum reipublicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum, et constrictum tenebat, haec inclusa habebam, et ne obsolescerent, renovabam, cum licebat, legendo. Nunc vero et fortunae gravissimo percussus vulnere, et administratione reipublicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc honestissimam judico. Aut enim huic aetati hoc maxime aptum est: aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum: aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius: aut si haec ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus.

PROOEM. LIB. IV. ACAD. QUAEST.

LAUDES LUCULLI.

Magnum ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus tempo-

ribus florere in foro maxime potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim admodum adolescens cum fratre, pari pietate et industria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiam quaestor profectus, ibi permultos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit: deinde absens factus aedilis, continuo praetor: (licebat enim celerius legis praemio) post in Africam: inde ad consulatum, quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoscerent. Post ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum.

Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera; quaesturae diuturnum tempus, Muraena bellum in Ponto gerente, in Asiae pace consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque cum totum iter et navigationem consumpsisset, partem in percontando a peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim divinam quandam memoriam rerum; verborum majorem Hortensius. Sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior: quam fuisse in Themistocle, quem facile Graeciae principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam, se artem ei memoriae, quae tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, *oblivisci se malle discere:* credo, quod haerebant in memoria quaecunque audierat, aut viderat. Tali ingenio praeditus Lucullus adjunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque, ut literis consignamus, quae monumentis mandare volumus; sic ille in animo res insculptas habebat.

Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, praeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumentis et apparatu, ut ille rex post Alexandum maximus hunc a se majorem ducem cognitum, quam quenquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis, temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis, et quasi vestigiis persequendis.

Sed, etsi magna cum utilitate reipublicae, tamen diutius, quam vellem, tanta vis virtutis atque ingenii, peregrinata abfuit ab oculis et fori et curiae. Quin etiam, cum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. Nos enim consules introduximus paene in urbem currum clarissimi viri: cujus mihi consilium et auctoritas, quid tum in maximis rebus profuisset, dicerem, nisi de me ipso dicendum esset; quod hoc tempore non est necesse. Itaque privabo illum potius debito testimonio, quam id cum mea laude communicem.

Sed, quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et Graecis literis et Latinis celebrata. Nos autem illa exteriora cum multis; haec interiora, cum paucis ex ipso saepe cognovimus. Majore enim studio Lucullus cum omni literarum generi, tum philosophiae deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur. Nec vero ineunte aetate solum, sed et quaestor aliquot annos, et in ipso bello: in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur. Cum autem e philosophis, ingenio scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere, eum secum et quaestor habuit, et post aliquot annos imperator. Cumque esset ea memoria, quam ante dixi, ea saepe audiendo facile cognovit, quae vel semel audita

meminisse potuisset. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat.

Ac vereor interdum, ne talium personarum, cum amplificare velim, minuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Graecas non ament literas: plures, qui philosophiam: reliqui, qui, etiamsi haec non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putent. Ego autem, cum Graecas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim; P. autem Africani, historiae loquantur, in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse; nec literarum Graecarum, nec philosophiae jam ullum auctorem requiro.

Restat, ut iis respondeam, qui sermonibus hujusmodi nolint personas tam graves illigari. Quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leviorum. Etenim, si quondam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto ejus tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est: nec quidquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus, Quod si, cum fungi munere debeamus, non modo operam nostram nunquam a populari coetu removemus, sed ne literam quidem ullam facimus, nisi forensem; quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmetipsos hebescere, et languere nolumus, sed etiam, ut plurimis prosimus, enitimur? Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illustresque laudes, has etiam minus notas, minusque pervulgatas adjungimus.

PROOEM. LIB. I. TUSCUL. QUAESTIONUM.[1]

Cum defensionum laboribus, senatoriisque muneribus, aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi. Et cum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina, studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur; hoc mihi Latinis literis illustrandum putavi. Non quia philosophia Graecis et literis, et doctoribus percipi non posset; sed meum judicium semper fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.

Nam mores, et instituta vitae, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius. Rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis, et legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Jam illa, quae natura, non literis assecuti sunt, neque cum Graecis, neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?

1 Quaestionum.] *Tusculanarum Quaestionum*, sive ut Davisius malit, *Disputationum* Libri quinque, ad M. Brutum, *primus* disputat de contemnenda morte, *secundus* de dolore tolerando, *tertius* de lenienda aegritudine, *quartus* de reliquis animi perturbationibus, *quintus* denique e scitis Stoicorum docet virtutem ad bene vivendum seipsa esse contentam. Hos libros publicis scholis explicavit Romae 1475 Franciscus Philelphus; qui recte observavit, Ciceronem, quum has quaestiones, rerum potito Caesare, scriberet, conventum suae domi habuisse studiosorum hominum, et quendam veluti ludum litterarium.

Doctrina Graecia nos, et omni literarum genere superabat: in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis sit genus poetarum (si quidem Homerus fuit, et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo) serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere DX. post Romam conditam, Livius fabulam dedit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano, consulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu quam Plautus et Naevius. Sero igitur a nostris poetae vel cogniti, vel recepti. Quanquam est in [1] Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinam de clarorum hominum virtutibus. Honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, Marco Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus ergo honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt. Nec tamen, siqui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt.

An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos et Parrhasios fuisse? Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria; jacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum, vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annis, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes: nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. In summo apud illos honore geometria fuit: itaque nihil mathematicis illustrius. At nos,

[1] M. Porcii Catonis, de quibus Cic. in Bruto: "Jam vero Origines Catonis quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent?"

metiendi ratiocinandique utilitate, hujus artis terminavimus modum.

At contra oratorem celeriter complexi sumus: nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Laelium, doctos fuisse, memoriae traditum est: studiosum autem eum, qui hos aetate anteibat, Catonem: post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos: deinde ita magnos, nostram ad aetatem, ut non multum, aut nihil omnino Graecis cederetur.

Philosophia jacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum: quae illustranda, et excitanda nobis est; ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi jam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id quod sentit, polite eloqui non possit. Sed mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio, et literis. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit, praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriae laudi nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant.

Sed, ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientiae copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia jungere; sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac majore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset, ornateque dicere. In quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut jam

etiam scholas, Graecorum more, habere auderemus: ut nuper, tuum post discessum, in Tusculano, cum essent complures mecum familiares, tentavi, quid in eo genere possem. Ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit; sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet: et id aut sedens, aut ambulans disputabam. Itaque dierum quinque *scholas*, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut, cum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est enim, ut scis, vetus, et Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quod verisimillimum esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur.

EX LIB. I. TUSCUL. DISPUTAT. C. 39.

DE MORTE CONTEMNENDA.

PELLANTUR istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori, miserum esse. Quod tandem tempus? naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas. Iidem, si puer parvus occidit, aequo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat. Nondum gustaverat, inquiunt, vitae suavitatem: hic autem jam sperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem ipsum in caeteris rebus melius putatur, aliquam partem, quam nullam, attingere. Cur in vita secus? Quanquam non male ait Callimachus, *multo saepius lacrymasse Priamum, quam Troilum.*

Contemnamus igitur omnes ineptias: (quod enim levius huic levitati nomen imponam?) totamque vim bene vivendi in animi robore, ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia, et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effoeminamur; ut, si ante mors adventet, quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, illusi, destitutique videamur.

Quod si expectando, et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur; proh, Dii immortales! quam optabiliter iter illud ineundum est, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! Quam me delectat Theramenes, quamque elato animo est! etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obbibisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret; quo sonitu reddito, ridens, *Propino*, inquit, *hoc pulchro Critiae*, qui in eum fuerat teterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, cum jam praecordiis conceptam mortem contineret: vereque ei, qui venenum praebiberat, mortem est eam auguratus, quae brevi consecuta est.

Vadit in eundem carcerem, atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum Theramenes. Ille nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia; et, cum facile posset educi e custodia, noluit; et, cum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque disseruit: "Duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium: nam qui se humanis vitiis conta-

minassent, et se totos libidinibus dedidissent, quibus caecati vel in domesticis vitiis atque flagitiis se inquinassent, vel in republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent; iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum. Qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum; his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere."

Quae est autem ejus oratio, qua facit eum Plato usum apud judices, jam morte multatum? "Magna me," inquit, "spes tenet, judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quictem affert: Dii boni! quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur; cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beatior?

"Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt; id multo jam beatius est, te, cum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum; convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? equidem saepe mori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios judicio iniquorum circumventos convenirem: tentarem etiam summi regis, qui maximas co-

pias duxit ad Trojam, et Ulyssis, Sisyphique prudentiam: nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut, hic faciebam, capite damnarer.

"Ne vos quidem, judices, hi qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo nec mortuo: nec unquam ejus res a diis immortalibus negligentur. Nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus sum, aut a quibus condemnatus, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt." Et haec quidem hoc modo: nihil autem melius extremo. "Sed tempus est," inquit, "jam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt: hominem quidem scire arbitror neminem." Nae ego haud paulo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc judicaverunt. Etsi, quod praeter deos negat scire quenquam, id scit ipse, utrum melius sit: nam dixit ante. Sed suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus.

PROOEM. LIB. II. TUSCUL. QUAEST.

Neoptolemus quidem apud Ennium "philosophari sibi, ait, necesse esse, sed paucis: nam omnino, haud placere." Ego autem, Brute, necesse quidem mihi esse arbitror philosophari: nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? sed non paucis, ut ille. Difficile est enim in philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque, aut omnia. Nam nec pauca, nisi e multis, eligi possunt; nec, qui pauca percepit, non idem reliqua eodem studio persequetur.

Sed in vita tamen occupata, atque, ut Neoptolemi tum erat, militari, pauca ipsa multum saepe prosunt, et ferunt fructus, si non tantos, quanti ex universa philosophia percipi possunt; tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate, aut aegritudine, aut metu liberemur: velut ex ea disputatione, quae mihi nuper habita est in Tusculano, magna videbatur mortis effecta contemptio, quae non minimum valet ad ánimum metu liberandum.

Quanquam non sumus ignari, multos studiose contra esse dicturos; quod vitare nullo modo potuimus; nisi nihil omnino scriberemus. Sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus: in ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.

Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut hujus quoque generis laudem jam languenti Graeciae eripiant, et perferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua majores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur. Philosophia nascatur Latinis quidem literis ex his temporibus; eamque nos adjuvemus: nosque ipsos redargui, refellique patiamur. Quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere. Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quam quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia, parati sumus.

PROOEM. LIB. III. TUSCUL. DISPUT.

Quidnam esse, Brute, causae putem, cur, cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars, atque ejus utilitas deorum immortalium inventioni consecrata: animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? an quod corporis gravitatem et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus? ita fit, ut animus de se ipse tum judicet, cum id ipsum, quod judicat, aegrotet.

Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitae conficere possemus; haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summá opinionum perversitate versamur: ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Accedunt etiam poetae: qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus.

Cum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum

pravitate, a naturaque ipsa desciscimus: ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt; ad quam fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur; consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res, et expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago gloriae. Quae, quia recte factorum plerumque comes est, non est a bonis viris repudianda.

Illa autem, quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria, atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Qua caecitate homines, cum quaedam etiam praeclara cuperent, eaque nescirent nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quam cursus errore falluntur.

Quid, qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur; quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, his nullane est adhibenda curatio? utrum, quod minus noceant animi aegrotationes, quam corporis? An, quod corpora curari possint, animorum nulla medicina sit? At et morbi perniciosiores, pluresque sunt animi, quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent, eumque solicitant; animusque aeger, ut ait Ennius, semper errat, neque pati, neque perpeti potest: cupere nunquam desinit. Quibus duobus morbis (ut omittam alios) aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? qui vero probari potest, ut sibi mederi ani-

mus non possit? Est profecto animi medicina, philosophia: cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris: omnibusque opibus viribusque, ut nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.

PROOEM. LIB. V. DE TUSCUL. DISPUTAT.

QUINTUS hic dies, Brute, finem faciet Tusculanarum Disputationum: quo die est a nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti, et ex multis sermonibus tuis, virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi difficile est probatu, propter tam varia, et tam multa tormenta fortunae; tale tamen est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur. Nihil est enim omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius, magnificentiusque dicatur.

Nam cum ea causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent; profecto, spe beate vivendi, tantam in eo studio curam operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa et perfecta virtus est, et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est; quis est, qui non praeclare et ab illis positam, et a nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus, subjecta sub varios incertosque casus, famula fortunae est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur; vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi, quam vota facienda videantur.

Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, huic incipio

sententiae diffidere: interdum etiam humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura cum corpora nobis infirma dedisset, iisque et morbos insanabiles, et dolores intolerabiles adjunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes, et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. Sed in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum, et ex nostra fortasse mollitie, non ex ipsa virtute, de virtutis robore existimo. Illa enim, si modo est ulla virtus (quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit) omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos: culpaque omni carens, praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa, tum venientia metu augentes, tum moerore praesentia, rerum naturam, quam errorem nostrum, damnare malumus.

Sed et hujus culpae, et caeterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cujus in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos contulisset; his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux! O virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum et vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum, et disciplinae fuisti. Ad te confugimus: a te opem petimus: tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus, totosque tradimus. Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus. Cujus igitur potius opibus utamur quam tuis? quae et vitae tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti.

At Philosophia quidem tantum abest, ut perinde ac de hominum est vita merita, laudetur, ut a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem, et hoc parricidio se inquinare audet? et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error, et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt: nec eos, a quibus vita hominum instructa primo sit, fuisse philosophos arbitrantur. Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens.

Nam Sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quae divinarum humanarumque rerum, tum initiorum, causarumque, tum cujusque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur. Itaque et illos septem, qui a Graecis Σοφοι, sapientes a nostris, et habebantur et nominabantur, et multis ante seculis Lycurgum (cujus temporibus Homerus etiam fuisse, ante hanc urbem conditam, traditur) etiam heroicis aetatibus Ulyssem et Nestorem accepimus et fuisse, et habitos esse Sapientes.

Nec vero Atlas sustinere coelum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi coelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, Sapientes et habebanturet nominabantur.

Idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem: quem (ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis) Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. Cujus ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo; qua maxime arte confideret. At illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum.

Admiratum Leontem novitatem nominis, quaesisse, quinam essent Philosophi, et quid inter eos, et reliquos interesset. Pythagoram autem respondisse, "Similem sibi videri vitam hominum, et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam, et nobilitatem coronae peterent; alii emendi aut vendendi quaestu, et lucro ducerentur; esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent quid ageretur, et quo modo: item nos, quasi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos; alios gloriae servire, alios pecuniae: raros esse quosdam, qui, caeteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur: hos se appellare sapientiae studiosos, id est enim Philosophos: et ut illic liberalissimum esset, spectare nihil sibi acquirentem; sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum, cognitionemque praestare."

Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui, cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae Magna dicta est, et privatim et publice, praestantissimis et institutis et artibus. Cujus de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem (qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat) numeri, motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove recederent: studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus inquirebantur, et cuncta coelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere.

Cujus multiplex ratio disputandi, rerumque varietas, et ingenii magnitudo, Platonis memoria et literis consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consectati sumus, quo Socratem usum arbitramur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus, et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus.

EX LIB. V. TUSCUL. DISPUT. C. 20.

DE DIONYSIO SYRACUSANO.

DUODEQUADRAGINTA annos tyrannus Syracúsanorum fuit Dionysius, cum v. et xx. natus annos dominatum occupasset. Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam, servitute oppressam tenuit civitatem? Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus; summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium. Ex quo omnibus, bene veritatem intuentibus, videri necesse est miserrimum: ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia se posse censebat, consequebatur.

Qui, cum esset bonis parentibus, atque honesto loco natus (etsi id quidem alius alio modo tradit) abundaretque et aequalium familiaritatibus, et consuetudine propinquorum, credebat eorum nemini: sed iis, quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis, et feris barbaris, corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat. Quinctiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit.

Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab iis ipsis, cum jam essent adultae, ferrum removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.

Cumque duas uxores haberet, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur, et perscrutaretur ante. Et, cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunisset; eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Atque is cum pila ludere vellet (studiose enim id factitabat) tunicamque poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic, cum quidam familiaris jocans dixisset: *Huic quidem certe vitam tuam committis;* arrisissetque adolescens; utrumque jussit interfici: alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui: alterum, quia id dictum risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, ut nihil gravius tulerit in vita. Quem enim vehementer amaret, occiderat. Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates. Cum huic obsecutus sis, illi est repugnandum.

Quanquam hic quidem tyrannus ipse indicavit, quam esset beatus. Nam cum quidam ex ejus assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum; negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse: Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornavit argento auroque coelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nu-

tum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae; incendebantur odores; mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur.

In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari, seta equina appensum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores adspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam: jam ipsae defluebant coronae: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse.

Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret, civibusque libertatem et jura redderet: iis enim se adolescens improvida aetate irretierat erratis, eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse coepisset.

Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoreis duobus illis: quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis destinatam; utinam ego, inquit, tertius vobis amicus adscriberer. Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omni familiari? homini praesertim docto a puero, et artibus ingenuis erudito. Musicorum vero perstudiosum accepimus poetam etiam tragicum: quam bonum, nihil ad rem: in hoc enim genere nescio quo pacto magis quam in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam (et mihi fuit cum Aquino amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet: te tua, me delectant mea. Sed ut ad Dionysium redeamus: omni cultu, et victu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris: neminem, qui aut li-

bertate dignus esset, aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur.

Non ergo jam cum hujus vita, qua tetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis, aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum, et plane sapientium. Ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cujus ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum; tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam; qui declarabant, in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Achredinas magna frequentia sepulcrorum) animadverti columellam non multum e dumis eminentem; in qua inerat sphaerae figura, et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum arbitrari esse, quod quaererem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis, unius acutissimi, monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.

Sed redeat, unde aberravit oratio. Quis est enim omnium, qui modo cum musis id est, cum humanitate et cum doctrina habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit, quam illum tyrannum? Si vitae modum actionemque quaerimus; alterius mens rationibus agitandis, exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiae; qui est unus suavissimus pastus animorum: alterius caede, et injuriis, cum et diurno et nocturno metu.

EX LIB. V. TUSCUL. DISPUT. C. 27.

DE DOLORE TOLERANDO.

Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius: is ardentes faces intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur succumbet virtus? huic beata sapientis et constantis viri vita cedet? quam turpe, o di boni? Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, ungibus, morsu denique, ut exanimarentur prius, quam se victos faterentur. Quae barbaria India vastior, aut agrestior? in ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt, et Caucasi nives, hiemalemque vim perferunt sine dolore: cumque ad flammam se applicuerint, sine gemitu aduruntur. Mulieres vero in India, cum est cujusvis earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit: (plures enim singulis solent esse nuptae) Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, moesta discedit. Nunquam naturam mos vinceret: est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus: opinionibus, maloque more delinitum mollivimus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutae mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent.

De hominibus loquor. Quid bestiae? nonne frigus, non famem, non montivagos atque silvestres cursus, lustrationesque patiuntur? nonne pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant? nullos impetus,

nullos ictus reformident? omitto, quae perferant, quaeque patiantur ambitiosi, honoris causa: laudis studiosi, gloriae: amore incensi, cupiditatis: plena vita exemplorum est.

Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita beata: nec justitiam, temperantiam, in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistet; virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, (ut ante dixi) limenque carceris. Quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, comitatu pulcherrimo segregata? quod tamen fieri nullo pacto potest. Nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt, nec illa sine virtutibus. Itaque eam tergiversari non sinent, secumque rapient ad quemcumque ipsae dolorem, cruciatumque ducentur.

EX LIB. V. TUSCUL. DISPUTAT. C. 32.

Quis non paupertatem extimescit? neque tamen quisquam Philosophorum. Hi vero ipsi quam parvo sunt contenti? Etenim quae res pecuniae cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiae suppetant; cum procul ab iis omnibus rebus absint, cur pecuniam magnopere desiderent, vel curent omnino?

An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates Philosophi non poterunt? Illius epistola fertur his verbis. "Anacharsis Hannoni salutem, Mihi amictus est, Scythicum tegmen: calceamentum, solorum callum: cubile, terra: pulpamentum, fames: lacte, caseo, carne vescor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem ista, quibus

es delectatus, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona." Omnes fere Philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, hoc eodem animo esse potuerunt.

Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, Quam multa non desidero, inquit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent (quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima) adduxit legatos ad coenam in Academiam: iis apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet. Quid? vos hesterna, inquit, coenula non intellexistis, me pecunia non egere? quos cum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid sibi opus esset, "Nunc quidem paullulum," inquit, "a sole absis." Offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret. Sibi nihil deesse: illi nihil satis unquam fore. Se ejus voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset; suas eum consequi nullo modo posse.

PROOEM. LIB. I. DE NATURA DEORUM.[1]

Cum multae res in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras) et perobscura quaestio est de na-

[1] Deorum.] *De natura Deorum libri tres* ad M. Brutum, in *quibus nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere* Cicero superstitionem gentium refellit, ita ut fuerint etiam, teste Amobio, lib. iii. p. 103, 104, qui mussitarent, *oportere statui per senatum Rom. ut aboleantur haec*

tura deorum: quae et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiae, esse inscientiam; prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?

Velut in hac quaestione, plerique, (quod maxime verisimile est, et quo omnes, duce natura, vehimur) deos esse dixerunt: dubitare se Protagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione constituti, ut eorum molestum sit enumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus, et actione vitae multa dicuntur: deque his summa philosophorum dissensione certatur. Quod vero maxime rem causamque continet, est, utrum nihil agant, nihil moliantur, ac ab omni curatione et administratione rerum vacent; an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur, atque moveantur; in primisque magna dissensio est: caque nisi dijudicatur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignoratione versari.

Sunt enim philosophi, et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim

scripta, quibus Christiana religio (quatenus Idolorum cultui illa adversa est) *comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas.* Libro primo explicatur doctrina Epicuri a Velleio, contra disputante Cotta, Academico. In altero exponitur Stoicorum Theologia: In tertio Academicus Cotta contra Stoicam rationem disputat. Cicero autem auditor disputationis Balbi rationem praefert.

omnia pure ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul et sanctitatem, et religionem tolli necesse est: quibus sublatis perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an, pietate adversus deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus, justitia, tollatur.

Sunt autem alii philosophi, et hi quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant. Neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri. Nam et fruges, et reliqua, quae terra pariat, et tempestates, ac temporum varietates, coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant: multaque colligunt, quae talia sunt, ut [1] ea ipsa dii immortales ad usum hominum fabricati paene videantur.

Res autem nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. Quorum opiniones cum tam variae sint, tamque inter se diffidentes; alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit. Qua quidem in causa et benevolos objurgatores placare, et invidos vituperatores confutare possumus, ut alteros reprehendisse poeniteat, alteri se didicisse gaudeant. Nam qui admonent amice, docendi sunt: qui inimice insectantur, repellendi.

1 Legunt "et ipsi dii" *Boherius* et *Davisius*: cui lectioni favent etiam *Tullotson* et *Jortin*.

Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus, variumque sermonem, partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset; partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri,[1] eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet, desertaeque disciplinae et jampridem relictae patrocinium nec opinatum a nobis esse susceptum.

Nos autem nec subito coepimus philosophari: nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus; et, cum minime videbamus, tum maxime philosophabamur. Quod et orationes declarant refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. Et, si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit.

Sin autem quis requirit, quae causa nos impulerit, ut haec tam sero literis mandaremus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam cum otio langueremus, et is esset reipublicae status, ut eam [2] unius consilio atque cura gubernari necesse esset; primum ipsius reipublicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et laudem civitatis, res tam graves, tamque praeclaras Latinis etiam literis contineri. Eoque me minus instituti mei poenitet, quod facile sentio quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi, studia commoverim. Complures enim Graecis institutionibus eruditi, ea, quae didicerant, cum civibus suis communicare non poterant: quod illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent. Quo

[1] Academicam. [2] Caesaris.

in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur.

Hortata est etiam, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota injuria. Cujus si majorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Omnes autem ejus partes, atque omnia membra tum facillime noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explicantur. Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptae colligataeque videantur.

Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est. Non enim tam auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quinetiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, *Ipse dixit*. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.

Qui autem mirantur, nos hanc potissimum disciplinam secutos, his quatuor Academicis libris satis responsum videtur. Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus. Non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt; sed lucem auctoris fortasse desiderant: ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamque rem aperte judicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, usque ad nostram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam esse in ipsa

Graecia intelligo. Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto majus omnes? quod facere iis necesse est, quibus propositum est, veri reperiendi causa, et contra omnes philosophos, et pro omnibus dicere. Cujus rei tantae, tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor; secutum esse prae me fero.

Nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant, quod sequantur. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur; sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse dicamus. Neque nostrae disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut, in utramque partem disserendo, eliciant et exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat.

EX LIB. II. DE NATURA DEORUM.

ESSE PRAESTANTEM ALIQUAM, DIVINAMQUE NATURAM, PULCHRITUDO MUNDI, ORDOQUE RERUM OMNIUM COGIT CONFITERI.

Hic ego non mirer esse quenquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae literarum aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus ope-

rosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornátum, (qui locus est proximus) suspexisse videantur.

Praeclare Aristoteles, "Si essent," inquit, "qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram; accepissent autem fama et auditione, esse quoddam numen, et vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, et maria, coelumque vidissent; nubium magnitùdinem, ventorumque vim cognovissent; adspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: haec cum viderent, profecto et esse deos, et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur." Atque haec ille quidem.

Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Ætnaeorum ignium finitimas regionis obscuravisse dicuntur (ut per biduum nemo hominem homo agnosceret; cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur) Quod si hoc idem ex aeternis tenebris contingeret, ut subito lucem adspiceremus; quaenam species coeli videretur? Sed assiduitate quotidiana, et consuetudine oculorum, assuescunt animi; neque admirantur, neque requirunt, rationes earum rerum, quas semper vident: perinde, quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum, debeat ad exquirendas causas excitare.

Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? an cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, divinaque ratione?

Licet enim jam, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida, et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas latitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum: adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quae vero, et quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecudum pastus? quae vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari: quorumque operibus agri, insulae, litoraque collucent, distincta tectis et urbibus. Quae, si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret.

Roges me, quid aut quale sit Deus? Auctore utar Simonide: de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: "Quod quanto," inquit, "diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior." Sed Simonidem arbitror (non enim poeta solum suavis, verum etiam caeteroqui doctus, sapiensque traditur) quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem.

Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam ac libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno.

EX LIB. II. DE NATURA DEORUM.

Facilius intelligetur, a diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota Hominis [1] fabricatio perspecta, omnisque humanae naturae figura, atque perfectio. Sensus interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tanquam speculatores, altissimum locum obtinent; ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad superiora fer-

1 Hominis.] Hoc argumentum egregie tractatum vide in "Sapientia Divina in operibus Creationis perspecta," a *Raio*; item in "Physico-Theologia" *Derbamii*, et recentioris *Palaei* "Theologia Naturali."

tur, recte sursum sunt: et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris consecutae sunt. Jam gustatus, quia sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et proculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario tetri essent aliquid habitura; sic natura res similes procul amandavit a sensibus.

Quis vero opifex, praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerent. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, siquid noceret; et adspectum, quo vellent, facile converterent. Aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint, facile vitet. Palpebraeque, quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae et ad claudendas pupillas, nequid incideret, et ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitaeque sunt palpebrae tanquam vallo pilorum: quibus, et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut, tanquam involuti, quiescerent. Latent praeterea utiliter, et excelsis undique partibus sepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta, sudorem a capite et fronte defluentem repellunt. Genae deinde ab inferiore parte tutantur, subjectae leviterque eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur.

Auditus autem semper patet: ejus enim sensu etiam dormientes egemus: a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit. Provisum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrepere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, et tegendi causa factae tutandique sensus; et ne adjectae voces laberentur, atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu: et ex tortuosis locis et inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humoremque semper habent ad pulverem, multaque alia depellenda, non inutilem. Gustatus praeclare septus est: ore enim continetur, et ad usum apte, et ad incolumitatis custodiam.

Jam vero animum ipsum, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere. Jam vero domina rerum eloquendi vis, quam est praeclara, quamque divina? quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, discere, et ea, quae scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates, iracundiasque restinguimus. Haec nos juris, legum, urbium societate devinxit: haec a vita immani, et fera segregavit. Ad usum autem orationis, incredibile est, nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus vox, principium a mente ducens, percipitur, et funditur. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit, et ter-

minat. Quae sonos vocis distinctos, et pressos efficit, cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris.

Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta manus est, admotione digitorum. Atque haec oblectationis: illa necessitatis; cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel suta, omnemque fabricam aeris, et ferri: ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus; urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.

Jam vero operibus hominum, id est, manibus, cibi etiam varietas invenitur, et copia. Nam et agri multa ferunt manu quaesita, quae vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati. Et praeterea vescimur bestiis, et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim, et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus: nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur: nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri venas, penitus abditas invenimus, et ad usum aptas, et ad ornatum decoras: arborum autem consectione, omnique materia, et culta et silvestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur; partim ad aedificandum, ut tectis septi, frigora caloresque pellamus. Magnos vero usus affert ad navigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiae: quasque res violentissimas natura

genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam: plurimisque maritimis rebus fruimur, atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris foecunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

EX LIB. I. DE DIVINATIONE.[1]

DE SOMNIIS.

VIDE, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim; [2] "Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis particeps sit, sopita langueat; illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, cum sit immoderato tumefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno, immoderateque jactari. Itaque huic omnia visa objiciuntur, a mente ac ratione vacua: ut cum trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere videamur cum temeritate atque impudentia.

"At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis; eaque parte animi, quae voluptate ali-

1 Divinatione.] *De Divinatione Libri duo* editi a Cicerone post Caesaris necem. Priore quidem libro Quintus Cicero frater pro Divinatione disputans inducitur, posteriore Cicero Divinationis genus fere omne tollit atque evertit, et contra illam quidem quae arte fit pugnat usque ad caput 47. contra Somnia vero atque Enthusiasmum in caeteris libri capitibus.

Plato, Lib. 9. de Republ.

tur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, (quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam, sive abundat atque affluit) illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum, acremque praebeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia." Haec verba ipsa Platonis expressi.

Quid singulari vir ingenio Aristoteles, et paene divino? ipsene errat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum, Cyprium familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum esse in quiete egregia facie juvenem dicere, fore ut brevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, praeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, cum animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui, cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat: si navigasset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem rediisse: periisse caeteros, qui tum navigassent.

Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse; ad hospitem, alterum. Qui ut coenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somniis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse: deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum: petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse: quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse: mortuum erutum esse: cauponem, re patefacta poenas dedisse.

Venio nunc ad [1] tuum. Audivi equidem ex te ipso; sed mihi saepius [2] Sallustius noster narravit: cum in illa fuga, nobis gloriosa, patriae calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse. Itaque, quanquam iter instaret, te tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari: cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse. Visum tibi esse, cum in locis solis moestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te, quid tristis esses: cumque tua te tu patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam, et bono animo te jussisse esse, lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret; et dixisse, in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse Sallustius narrat,

[1] Quintus Cicero M. Tullium fratrem hic alloquitur.
[2] M. Ciceronis libertus.

reditum tibi celerem et gloriosum paratum, et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est; ut audivisses, in monumento Marii de tuo reditu magnificentissimum Lentulo illud S. C. esse factum, referente optimo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum; dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

PROOEM. LIB. II. DE DIVINATIONE.

STUDIORUM SUORUM RATIONEM EXPONIT CICERO.

QUAERENTI mihi, multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere reipublicae, nulla major occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror consecutum. Nam et cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus [1] *Hortensius;* et, quod genus philosophandi minime arrogans, maximeque et constans et elegans arbitraremur, *quatuor Academicis* libris ostendimus.

Cumque fundamentum esset philosophiae positum in *finibus bonorum et malorum*, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid a quoque, et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti libri *Tusculanarum disputationum* res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt: primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de aegritudine lenien-

[1] Hortensius.] De Philosophia liber, sive Hortensius, quo philosophiam defendit et collaudavit Cicero, cum esset accusata ab Hortensio et vituperata. Hujus operis fragmenta tantum supersunt.

da tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat; docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa est contentam.

Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt *de Natura Deorum:* in quibus omnis ejus loci quaestio continetur. Quae ut plene esset cumulateque perfecta, *de Divinatione* ingressi sumus his libris scribere. Quibus (ut est in animo) *de Fato* si adjunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. Atque his libris annumerandi sunt sex [1] *de Republica*, quos tunc scripsimus, cum gubernacula reipublicae tenebamus: magnus locus, philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de *Consolatione* dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, caeteris item multum illam profuturam puto. Interjectus etiam est nuper is, quem ad nostrum Atticum *de Senectute* misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, *Cato* noster in horum librorum numero ponendus est.

Cumque Aristoteles, itemque Theophrastus, excellentes viri cum subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta conjunxerint; nostri quoque *oratorii libri* in eundem numerum referendi videntur. Ita tres erunt *de Oratore:* quartus, *Brutus:* quintus, *Orator*. Adhuc haec erant. Ad reliqua acri tendebamus animo, sic parati, ut nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus, atque erudimus juventutem? his praesertim moribus, atque temporibus; quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refraenanda atque coercenda sit.

[1] De Rep.] Hi sunt inter scripta Ciceronis deperdita.

Nec vero id effici posse confido (quod ne postulandum quidem est) ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit industria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui jam aetate provecti in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur; quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam, Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia literis non egeant. Quod assequar profecto, si instituta perfecero.

Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam attulit gravis casus civitatis; cum in armis civilibus nec tueri meo more rempublicam, nec nihil agere poteram: nec, quod potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius[1] potestate respublica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus; neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret. Id enim ipsum a Platone, philosophiaque didiceram, naturales esse conversiones quasdam rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis.

Quod cum accidisset nostrae reipublicae, tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum relevaretur, et prodessemus civibus nostris, qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro reipublicae procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de republica consuli coepti sumus, tribuenda est opera reipublicae, vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda: tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere.

[1] Jul. Caesaris.

EX LIB. DE SENECTUTE.

Apud Xenophontem moriens Cyrus major, haec dicit. "Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis.

"Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui tuerentur. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem.

"Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, caeterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet.

"Jam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam. Multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote, ut deum. Sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis." Cyrus quidem haec moriens. Nos (si placet) nostra videamus.

Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum,[1] aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque, domi militiaeque, suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam essem terminaturus? nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur.

Quid, quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre?

Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi; neque vero eos solos convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi, et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, ne si tanquam Peliam recoxerit; et si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari.

Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? sed habeat sane. Habet certe tamen aut satietatem, aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, saepe fecerunt;

[1] Uterque periit in Hispania.

neque me vixisse poenitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi, dedit.

O praeclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, et cum ex hac turba et colluvione discedam! proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior: cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. [1] Animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum; quem ego meum casum fortiter ferre visus sum; non quod aequo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Laelio admirari solere dixisti) levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam minuti [2] philosophi censent) nihil sentiam; non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant: quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio aetatis est, tanquam fabulae: cujus defatigationem fugere debemus, praesertim adjuncta satietate.

[1] Catonis filii, e vita discedentis.
[2] Cyrenaici, Epicurei.

EX LIB. DE AMICITIA.

Quoniam ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur ex alia; maxime quidem optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem, ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur. Caritate enim, benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata jucunditas.

Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet. Virtutem enim semper amavi illius viri, quae exstincta non est: nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui; sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo unquam animo aut spe majora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet.

Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium; in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim: nihil audivi ex eo ipse, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationesque communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi? in quibus remoti ab oculis populi, omne otiosum tempus contrivimus.

Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem Sed nec illa extincta sunt: alunturque potius et augentur cogita-

tione et memoria: et si plane istis orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium: diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia, tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint.

PARADOXON[1] IV.

OMNEM STULTUM INSANIRE. IN CLODIUM.

Ego vero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper; sed dementem, et insanum rebus vincam necessariis. Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus, ut moenibus, septus, vincetur et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest? quae est enim civitas? omnisne conventus ferorum, et immanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant: cum judicia jacebant: cum mos patrius occiderat: cum, ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in republica non erat. Praedonum ille concursus, et te duce latrocinium in foro constitutum, et reliquiae conjurationis a Catalinae furiis ad tuum scelus furoremque conversae, non civitas erat. Itaque pulsus ego civitate non sum, quae tum nulla erat: accersitus in civitatem sum, cum esset in republica[2] consul, qui tum nullus fuerat; esset senatus, qui tum occiderat; esset consensus po-

1 Paradoxon.] Sex Paradoxa Stoicorum ad M. Brutum opusculum. Paradoxon, Augustino in principiis Rhetoricces p. 301. est *malae opinionis thema*; et p. 299. *quod est παρα την δοξαν, id est, contra opinionem bonam.* Sed ex Ciceronis sententia rectius exponas; *contra opinionem vulgi.*

2 P. Lentulus, auctor et princeps in revocando Cicerone.

puli liberi; esset juris et aequitatis (quae vincula sunt civitatis) repetita memoria.

At vide, quam ista tui latrocinii tela contempserim. Jactam et immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi: pervenisse tamen ad me nunquam putavi: nisi forte, cum parietes[1] disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica te invitissimo stat: si hujus aeterni beneficii immortalem memoriam delevisses: multo etiam magis, si illam mentem, unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer injuriam. Sed si haec nec fecisti, nec facere potuisti; reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum.

Ergo ego semper civis; et tum maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat: tu ne nunc quidem: nisi forte idem esse hostis, et civis potest. An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis? Caedem in foro fecisti: armatis latronibus templa tenuisti; privatorum domos, aedesque sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu civis? potes autem esse tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? et me exulem tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rempublicam putent?

Nunquamne, homo amentissime, te circumspicies? nunquamne, quid facias, considerabis, nec quid loquare? nescis exilium scelerum esse poenam? meum illud iter ob praeclarissimas res a me gestas esse susceptum? Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exilio affici volunt,

[1] Eversa Ciceronis domus est in Palatio.

exules sunt, etiam si solum non mutarunt. An cum omnes leges te exulem esse jubeant, non eris tu exul? Non appellatur inimicus, qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est. Qui hominem occiderit? tu plurimos occidisti. Qui incendium fecerit? aedes Nympharum manu tua deflagravit. Qui templa[1] occupaverit? in foro etiam castra posuisti. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exulares. At te id fecisse etiam gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus in exilium ejectus, nomen exulis non perhorrescis? Romae sum, inquis: Et tu quidem in operto fuisti. Non igitur, ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit; si ibi eum legibus esse non oportebit.

EX PARADOX. V.

SOLUM SAPIENTEM LIBERUM ESSE, ET STULTUM OMNEM SERVUM. IN LUCULLUM.

LAUDETUR vero hic imperator, aut etiam appelletur aut hoc nomine dignus putetur. Quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refraenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, caeteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non[2] modo imperator, sed liber habendus omnino non erit.

[1] Templa sunt loca sub dio patentia, auspiciis capiendis apta.
[2] Pro "non modo non" ut passim.

An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

Magna, inquis, bella gessi; magnis imperiis et provinciis praefui. Gere igitur animum laude dignum. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Omitto, unde sustuleris, et quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, servum te esse ineptiarum omnium judico. Nonne igitur sunt illa festiva? sunt. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset; utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit, praeter ipsos; et videat aliquem summis populi beneficiis usum, barbatulos mullos exceptantem de piscina, et pertractantem, et muraenarum copia gloriantem; nonne hunc hominem ita servum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet?

An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimae servitutis! haereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem: quicquid denuntiatum sit, facit: assentatur, assidet, miratur. Quid horum est liberi, quid denique non servi inertis?

Quid? jam illa cupiditas, quae videtur esse liberalior, honoris, imperii, provinciarum, quam dura est

domina! quam imperiosa! quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quae servitus est, si haec libertas existimari potest?

Quid? cum cupiditatum dominatus excessit, et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor? quam est illa misera, quam dura servitus! adolescentibus paulo loquacioribus est serviendum: omnes, qui aliquid scire videntur, tanquam domini, timentur. Judex vero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? an non est omnis metus, servitus?

Sed haec hactenus. Ille videat, quomodo imperator esse possit: cum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa convincat.

EX PARAD. VI.

SOLUM SAPIENTEM ESSE DIVITEM. IN CRASSUM.

Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? solusne tu dives? Pro dii immortales? egone me audivisse aliquid et didicisse, non gaudeam? Solusne tu dives? Quid si ne dives quidem? quid si pauper etiam?

Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor, in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit; qui nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae: nihil sibi deesse putet, nihil curet amplius. Satiatus est, aut

contentus etiam pecunia? concedo, dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas (cum isti [1] ordini ne honestus quidem possit esse ullus:) si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, aerarium expilas; si testamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, atque ipse supponis; haec utrium abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo.

Etenim ex eo, quantum cuique satis, est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. Plures? majore etiam. Et si, ut aiunt, Danai quinquaginta sunt filiae, tot dotes magnam quaerunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint; hunc quo modo ego appellabo divitem, cum ipse etiam egere se sentiat?

Multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix potest. Ergo hoc proposito, nunquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia possis. Jam fateris igitur non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem, ac mendicitatem tuam nunquam obscure tulisti.

Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quaesito: sic qui videt domi tuae pariter accusatorum atque judicum consociatos greges;

[1] Senatorio.

qui nocentes et pecuniosos reos eodem te auctore corruptelam judicii molientes; qui tuas mercedum pactiones in patrociniis; intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum; dimissiones libertorum ad defoenerandas diripiendasque provincias; qui expulsiones vicinorum; qui latrocinia in agris; qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates; qui possessiones vacuas; qui proscriptiones locupletium; qui caedes municipiorum; qui illam Syllani temporis messem recordetur; qui testamenta subjecta; qui sublatos tot homines; qui denique omnia venalia, delectum, decretum, alienam, suam sententiam, forum, domum, vocem, silentium: quis hunc non putet confiteri, sibi quaesito opus esse? cui autem quaesito opus sit, quis unquam hunc vere dixerit divitem? est enim divitiarum fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerum; atque abundantia: quam tu quoniam nunquam assequere, nunquam omnino es futurus dives.

Meam autem quoniam pecuniam contemnis, et recte (est enim ad vulgi opinionem mediocris: ad tuam, nulla; ad meam modica) de me silebo: de re loquar. Si censenda nobis atque aestimanda res sit, utrum tandem pluris aestimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat; an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum, aurum Samnitum, an responsum M. Curii? haereditatem L. Paulli, an liberalitatem Africani, qui ejus haereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? Haec profecto, quae sunt summarum virtutum, pluris aestimanda sunt, quam illa; quae sunt pecuniae. Quis igitur, (si quidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sit,) dubitet, quin in virtute divitiae sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti, pluris quam virtus aestimanda est.

O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia! Venio enim ad

sumptuosos: relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, et sola marmorea facienti, et signa, tabulas, supellectilem, et vestem infinite concupiscenti, non modo ad sumptum ille est fructus, sed etiam ad foenus, exiguus: ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditior? cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cujus possessio quo est major, eo plus requirit ad se tuendam; an quae suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in hujus seculi errore verser? M. Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios et Luscinos loquamur) pauper tandem fuit. Habuit enim aediculas in Carinis, et fundum in Labicano. Nos igitur ditiores, qui plura habemus? utinam quidem. Sed non aestimatione census, verum victu atque cultu terminatur pecuniae modus. Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est: contentum vero suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque divitiae.

Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest; quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi, nec surripi potest unquam; neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? qua praediti qui sunt, soli sunt divites.

EX SOMNIO[1] SCIPIONIS.

SCIPIO LOQUITUR.

Cum in Africam venissem, M. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum; nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam convenirem, regem familiae nostrae justis de causis amicissimum. Ad quem ut veni, complexus me senex collacrymavit, aliquantoque post suspexit in coelum: et "Grates," inquit, "tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui coelites, quod ante quam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, et his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipso recreor: ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria."

Deinde ego illum de suo regno; ille me de nostra republica percontatus est: multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque ejus non solum facta, sed etiam dicta meminisset.

Deinde, ut cubitum discessimus, me et fessum de via, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui) Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine ejus, quam ex ipso, erat notior. Quem ut agnovi, equidem cohorrui.

1 Somnium Scipionis ex ultimo sive sexto libro de Republica, sive de optimo Reip. statu, excerptum fuit. Illud servavit ac duobus libris copiose illustravit Macrobius.

Sed ille, "Ades," inquit, "animo, et omitte timorem, Scipio, et quae dicam, trade memoriae. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere" (ostendebat autem Carthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco) "ad quam tu oppugnandam nunc venis pene miles? hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis haereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum absens COS. bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes.

"Sed cum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis[1] nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui. Sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur) circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum, atque in tuum nomen, se tota convertet civitas; te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac, ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris."

Hic cum exclamasset Laelius, ingemuissentque caeteri vehementius: leniter arridens Scipio, "Quaeso," inquit, "ne me a somno excitetis, et parumper audite caetera."

"Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandum rempublicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc

[1] Tib: Gracchi.

mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam consilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti, huc revertuntur."

Hic ego, etsi eram perterritus, non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveretne ipse pater Paulus, et alii, quos nos exstinctos arbitremur. "Imo vero," inquit, "ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt: vestra vero, quae dicitur vita, mors est. Quin tu aspicias ad te venientem Paulum patrem." Quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi. Ille autem me amplexus atque osculans flere prohibebat.

Atque ego, ut primum fletu represso loqui posse coepi, "Quaeso," inquam, "pater sanctissime atque optime, quando haec est vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris, quin huc ad vos venire propero?" "Non est ita," inquit ille. Nisi enim Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est; ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cole, et pietatem: quae cum sit magna in parentibus, et propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in coelum, et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides." Erat autem is splendidissimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti, praeclara caetera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas

nunquam ex hoc loco vidimus: et eae magnitudines omnium, quas esse nunquam suspicati sumus: ex quibus erat illa minima, quae ultima coelo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Jam vero ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, poeniteret.

Quam cum magis intuerer, "Quaeso," inquit Africanus, "quousque humi defixa tua mens erit? Nonne adspicis, quae in templa veneris?" Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, "Quis hic," inquam, "quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?" "Hic est," inquit ille, "qui impulsu et motu ipsorum orbium conficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt. Hoc sonitu oppletae aures obsurduerunt; nec est ullus hebetior sensus in vobis. Sicut ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint: sicut intueri solem adversum nequitis, ejusque radiis acies vestra sensusque vincitur."

Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus, "Sentio," inquit, "te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quae si tibi parva (ut est) ita videtur, haec coelestia semper spectato: illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris et angustis in locis; et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit; sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam ad-

versos stare vobis: a quibus expectare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam et circundatam cingulis: e quibus duos maxime inter se diversos, et coeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum et maximum solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum, australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus. Hic autem alter subjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quam vos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam sit parvus, vides.

"Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen, vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? quis in reliquis Orientis, aut abeuntis solis ultimis, aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit.

"Ipsi autem qui de vobis loquuntur, quam diu loquentur? Quinetiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.

"Quid autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint: qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt viri? cum praesertim apud eos ipsos, a quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius [1] Magni anni memoriam consequi possit.

[1] Homines populariter Annum tantummodo solis reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eadem-

"Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris; quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem et aeternam domum contueri; neque sermonibus vulgi dederis te, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant; sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit: et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur."

Quae cum dixisset, "Ego vero," inquam, "O Africane, siquidem bene meritis de patria quasi limes ad coeli aditum patet, quanquam a pueritia vestigiis ingressus patriis et tuis, decori vestro non defui: nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo vigilantius." Et ille, "Tu vero enitere, et sic habeto *te* non esse mortalem, sed *corpus* hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque: non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: si quidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui praevidet; qui tam regit, et moderatur, et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum princeps ille Deus: et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

"Hunc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem hae optimae curae, de salute patriae: quibus agitatus et exercitatus animus, velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit: idque ocyus faciet, si jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore

que totius coeli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens Annus appellari potest. Isque annus horum quos vocamus annorum 12854 complectitur. *Cic.*

abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt; corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur: nec in hunc locum, nisi multis exagitati seculis, revertuntur."

Ille discessit: ego somno solutus sum.

EPISTOLAE[1] EX CICERONE.

EPIST. VI. LIB. II. AD FAMILIARES.

ARGUMENTUM.

Commendat summo studio T. Annium Milonem ad petitionem consulatus.

M. T. C. C. CURIONI S. P. D.

NONDUM erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sextum Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te literis misi. Sed tamen cum appropinquare tuus adventus putaretur, et te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit ut non vereremur, ne nimis cito mitteremus, cum has quamprimum ad te perferri literas magnopere vellemus. Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta, quanta

1 Epistolae.] Ciceronis Epistolarum extant;

1. *Epistolarum ad Diversos libri* XVI; quae vulgo *Ad Familiares* inscribuntur, sed citra veterum Codicum Scriptorumque auctoritatem. Liber VIII. non complectitur Epistolas Ciceronis, sed *M. Coelii* ad Ciceronem.

2. *Epistolarum ad T. Pomponium Atticum libri* XVI. a consulatu Ciceronis usque ad extremum vitae tempus ad illum missarum, *Quae volumina qui legat* inquit Nepos in Attici vita cap. XVI. *non multum desideret historiam contextam eorum temporum.*

3. *Epistolarum ad Quintum Fratrem lib.* III.

4. *Epistolarum ad M. Brutum liber.*

magis a teipso praedicari, quam a me ponderari solent, verecundius a te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. Grave est enim homini prudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet; ne id quod petat exigere magis quam rogare, et in mercedis potius quam beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa novitate meorum temporum clarissima et maxima beneficia exstiterunt; estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitavi id a te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem: cum praesertim confiderem, nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulare atque illustrare posset. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi, et locavi: statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere. Neque vero cuiquam salutem, ac fortunas suas tantae curae fuisse unquam puto, quantae mihi sit honos ejus, in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adjumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit praeterea nobis requirendum. Habemus haec omnia: bonorum studium conciliatum ex tribunatu, propter nostram, ut spero te intelligere, caussam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturae: juventutis et gratiosorum in suffragiis studia propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: nostram suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen, et justam et debitam, et propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis et auctor opus est, et eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam et quasi gubernator: qui si ex omnibus unus optandus esset, quem

tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum virum, vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes; si dignum denique tuis beneficiis judicas: hoc a te peto, ut subvenias huic meae sollicitudini, ut huic meae laudi, vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, constantiae benevolentiaeque erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adjunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego, ni te videre scirem, cum ad te haec scriberem, quantum officii sustinerem, quantopere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem. Nunc tibi omnem rem atque caussam, meque totum commendo atque trado. Unum hoc sic habeto: si a te hanc rem impetraro, me pene plus tibi quam ipsi Miloni debiturum. Non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua praecipue sum ab illo adjutus, quam pietas erit in referenda gratia jucunda. Eam autem unius tui studio me assequi posse confido. Vale.[1]

[1] In loco consulatus pro Milone petendi, Cicero intra paucos dies eum, Clodianae caedis accusatum, defendere coram judicibus stabat.

EPIST. VII. LIB. II. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Hanc scripsit in Cilicia, cum esset proconsul. Gratulatur Curioni de tribunatu plebis. Hortatur ad boni civis officium. De sacerdotio Curionis quiddam interserit. Postremo rogat, ne quid sibi temporis prorogari ad provinciae administrationem patiatur.

M. T. C. PROCONSUL, C. CURIONI, TRIBUNO PL. S. D.

SERA gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia praetermissa est. Longe enim absum: audio sero. Sed tibi et gratulor, et, ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto: teque hortor ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit teipso: numquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere: cui scribam video: novi animum, novi consilium tuum. Non vereor ne quid timide, neque stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. Quod in id reipublicae tempus non incideris, sed veneris, (judicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides, quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates: quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. Sed, amabo te, cura et cogita nihil novi, sed illud idem quod initio scripsi; tecum loquere et te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quam tu, non facile inveniri potest: tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dii immortales, cur ego non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? jam etsi hoc minime tibi deest, sed tamen

efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem juvare. Scribam ad te plura alias. Paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sane feliciter, et ex mea sententia rempublicam gessimus, unis literis totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re atque caussa, cognosces ex iis literis, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia, meaque item in te singulari, rogo atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Praesens tecum egi, cum te tribunum plebis isto anno fore non putarem; itemque petivi saepius per literas; sed tum quasi a senatore nobilissimo, tum adolescente gratiosissimo: nunc a tribuno plebis, et a Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi; quod solet esse difficilius; sed ut ne quid novi decernatur: et ut senatusconsultum et leges defendas: eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPIST. VIII. LIB. II. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Leviter Coelium objurgat, qui commentarium misisset refertum levissimis rebus. Tum hortatur ad amicitiam Pompeii, emergente jam belli civilis initio. Addit de suo in provinciam itinere. In extremo, ne sibi provinciae tempus prorogetur.

M. T. C. PROCONSUL M. COELIO S. D.

Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, et

Chresti compilationem mitteres, et ea, quae nobis, cum Romae sumus, narrare nemo audeat? Vide, quantum tibi meo judicio tribuam, nec mehercule injuria: πολιτικωτερον enim te adhuc neminem cognovi. Ne illa quidem curo mihi scribas, quae maximis in rebus reipublicae geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit. Scribent alii: multi nuntiabunt. Perferet multa etiam ipse rumor. Quare ego nec praeterita nec praesentia abs te, sed ut ab homine longe in posterum prospiciente, futura expecto; ut ex tuis literis, cum formam reipublicae viderim, quale aedificium futurum sit, scire possim. Neque tamen adhuc habeo, quod te accusem; neque enim fuit quod tu plus providere posses, quam quivis nostrum, in primisque ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis nisi de republicae sermonibus versatus sum: quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. Tantum habeto, civem egregium esse Pompeium, et ad omnia, quae providenda sunt in republica, et animo et consilio paratum. Quare da te homini. Complectetur te, mihi crede. Jam eidem illi et boni et mali cives videntur, qui nobis videri solent. Ego cum Athenis decem ipsos dies fuissem, multumque mecum Gallus noster Caninius, proficiscebar inde pridie Nonas Quint. cum hoc ad te literarum dedi. Tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis quam ne tempus nobis provinciae prorogetur. In eo mihi sunt omnia. Quod, quando, et quomodo, et per quos agendum sit, tu optime constitues.[1]

[1] Haec epist. scripta fuit ab Athenis.

EPIST. V. LIB. IV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Cum Caesar bellum gereret in Hispania contra Pompeii liberos, periit Tullia ex partu, Ciceronis filia, jam a Dolabella dimissa. Consolatur Ciceronem Sulpicius, argumentis ad tollendum dolorem undecunque collectis. De Sulpicio sic Quinct. lib. IX. *Ser. Sulpicius insignem non immerito famam tribus orationibus meruit.*

SER. SULPICIUS M. T. CICERONI S. D.

Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo ac debui graviter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi. Qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est (propterea quia per quos ea confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrymis multis id conari possunt; uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare) tamen, quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere; non, quod ea te fugere existimem, sed, quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias.

Quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit; ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atque omnino minoris existimare? At illius vicem, credo, doles. Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris, et nos saepe incidimus hisce temporibus, non pessime cum iis esse actum, quibus

sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut, cum aliquo adolescente primario conjuncta, aetatem gereret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret: quos cum florentes videret, laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in republica? in amicorum negotiis libertate sua uti? Quid horum fuit, quod non prius, quam datum est, ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc pejus sit haec sufferre et perpeti.

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piraeeus, sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo, uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio praeterea tanta diminutio facta est: omnes provinciae conquassatae sunt. In unius mulierculae animula si jactura facta est, tantopere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat.

Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu fuerit opus ei, vixisse; una cum republica fuisse; te patrem suum praetorem, consulem, augurem vidisse; adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis prope perfunctam esse; cum respublica occideret, vita excessisse. Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis?

Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere.

Quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae, da caeteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore moerent: da patriae, ut si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit.

Denique quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reipublicae tempora et aliorum victoriam lugere.

Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aeque ferre posse, neque id majus, quam debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. Quod

ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat certiorem faciam. Vale.

EPIST. VI. LIB. IV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Ad Servii consolationem respondet, suum dolorem, lectis illius literis, aliqua ex parte lenitum: sed dolendi caussas apud se et plures, et graviores esse, quam apud quemvis alium in simili calamitate.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim praesens me adjuvare potueris et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod literis lectis aliquantulum acquievi. Nam et ea scripsisti, quae levare luctum possent; et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus, omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit, et quanti ipse me faceret, et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet saepe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum, et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas.

Sed opprimor interdum, et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae caeteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, et magnis rebus gestis, amisit; et L. Paulus, qui duo septem diebus, et vester Gallus, et M. Cato, qui sum-

mo ingenio, summa virtute filium perdidit; iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicae procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram: existimabam, id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse. Sed cum cogitarem, haec mihi tecum et cum quibusdam esse communia; et cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter, habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me a republica moerens, ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam: itaque et domo absum et foro; quod nec eum dolorem, quem a republica capio, domus jam consolari potest, nec domesticum respublica. Quo magis te exspecto, teque videre quam primum cupio. Major mihi levatio afferri nulla potest, quam conjunctio consuetudinis sermonumque nostrorum: quanquam sperabam tuum adventum, sic enim audiebam, appropinquare.

Ego autem cum multis de caussis te exopto quamprimum videre, tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus: quod est totum ad [1] unius voluntatem accommodandum, et prudentis, et liberalis, et, ut perspexisse videor, nec a me alieni, et tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnae est tamen deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu et beneficio quiescendi. Vale.

[1] Caesaris.

EPIST. VIII. LIB. IV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Suadet, ut exsulandi consilium abjiciat, et in patriam suam redeat: id Caesarem facile concessurum: id optare ipsius fratrem, id ipsam rempublicam: id ad rationem etiam rei familiaris pertinere.

M. T. C. M. MARCELLO S. D.

Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam; (non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo) tamen et amicitiae nostrae vetustas, et tua summa erga me benevolentia, quae mihi jam a pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quae et saluti tuae conducere arbitrarer, et non aliena esse ducerem a dignitate.

Ego eum te esse, qui horum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificentissime atque optime gesseris, praeclare memini: sed idem etiam illa vidi, neque te consilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus probare, semperque summe diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: et ego id semper egi, ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa, quae erant in nobis superiora: sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur: aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe et abjecti. In quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abjecisti certandi etiam cupiditatem: ostendistique, sapientem et bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos video in duo ge-

nera esse distractos. Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt: aut, quemadmodum nos, victori sese crediderunt. Medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor, a plerisque, vel dicam ab omnibus, sapiens tuum consilium, a multis etiam magni ac fortis animi judicatum. Sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum: praesertim cum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omnes obtinendas, praeter voluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim. Sed tamen, si jam ita constituisses, ut abesse perpetuo malles, quam ea, quae nolles, videre; tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in ejus ipsius, quem fugeres, potestate: qui si facile passurus esset, te carentem patria et fortunis tuis quiete et libere vivere; cogitandum tibi tamen esset, Romaene et domi tuae, cujusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles vivere. Sed cum ita late pateat ejus potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit; nonne mavis sine periculo domi tuae esse, quam cum periculo alienae? Equidem, etiam si oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quam in externis atque alienis locis. [1] Nec vero locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior est; sed misereri potius, nec eam multis claris viris orbatam privare etiam aspectu tuo. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna, pro tuis maximis clarissimisque virtutibus, multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuae, quam dissipari nolumus. Nam etsi nullam potest accipere injuriam,

[1] Ex *Epistol.* IX. ejusdem libri.

quae futura perpetua sit: propterea quod neque is, qui tenet rempublicam, patietur, neque ipsa respublica; tamen impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem, qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere confiderem. Hic te unius sollicitudines, unius etiam multae et assiduae lacrymae C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur: nos cura et dolore proximi sumus: precibus tardiores, quod jus adeundi, cum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratia tantum possumus, quantum victi. Sed tamen consilio, studio, Marcello non desumus. [1] A tuis reliquis non adhibemur: ad omnia parati sumus. Vale.

EPIST. XIII. LIB. IV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Exsulantem Nigidium spe reditus consolans, suam illi operam, suumque officium pollicetur; praeterea rem omnem familiarem. In extremo hortatur, ut bono animo, fortique sit in utramque partem.

M. T. C. P. NIGIDIO FIGULO S. D.

QUAERENTI mihi jamdiu quid ad te potissimum scriberem, non modo certa res nulla, sed ne genus quidem literarum usitatum veniebat in mentem. Unam enim partem et consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat perfeceratque fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam et miserum, et his temporibus consentaneum genus literarum. Id quoque deficiebat me: in quo de-

[1] A reliquis tuis propinquis ac necessariis non adhibemur ad consilium de tuo reditu capiendum.

bebat esse aut promissio auxilii alicujus, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abjectus, aliorum opibus casus meos sustentabam; saepiusque mihi veniebat in mentem, queri, quod ita viverem, quam gaudere, quod viverem. Quanquam enim nulla meipsum privatim pepulit insignis injuria; nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimem. Careo enim cum familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga; tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam, te socio, defensa respublica: versorque in eorum naufragiis et bonorum direptionibus: nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adjutoribus illud incendium exstinximus: et in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem. Sed ea plus non potest, quam vis et mutatio omnium rerum atque temporum. Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo assuefecerat, cum caeteris, ut quidem videor, tum mihi ipse displiceo. Natus enim ad agendum semper aliquid dignum viro, nunc non modo agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem: et qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo, et maxima quondam gratia, et mihi certe amicissimo, ne benigne quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est literarum genus.

Reliquum est, ut consoler, et afferam rationes, quibus te a molestiis coner abducere. At ea quidem facultas, vel tui, vel alterius consolandi, in te summa

est, si unquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quae ab exquisita quadam ratione et doctrina proficiscitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid sit forti et sapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus a pueritia floruisti, a te flagitent, tu videbis. Ego quod intelligere et sentire, quia sum Romae, et quia curo attendoque, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum: in iis autem, in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere primum ipsius animum, qui plurimum potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temere. Quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum: Familiares vero ejus, et ii quidem, qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te et loquuntur et sentiunt. Accedit eodem vulgi voluntas, vel potius consensus omnium. Etiam illa, quae minimum nunc quidem potest, sed possit, necesse est, respublica, quascunque vires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit.

Redeo igitur ad id, ut jam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram: nam et complectar ejus familiarissimos, qui me admodum diligunt multumque mecum sunt, et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: et certe omnes vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse. In hoc toto genere plura faciam, quam scribere audeo. Caetera, quae tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima. Nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse, quam tuum. Hac de re et de hoc genere toto hoc scribo parcius, quod te, id quod ipse confido, sperare mallem, esse usurum tuis.

Extremum illud est, ut te orem et obsecrem, animo ut maximo sis: nec ea solum memineris, quae ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti. Quae si colliges, et sperabis omnia optime, et quae accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. Sed haec tu melius, vel optime omnium. Ego quae pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo: tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo. Vale.

EPIST. XII. LIB. V. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Lucceium, historiarum scriptorem, rogat, ut de rebus a se in consulatu gestis speratum volumen conficiat.

M. T. C. L. LUCCEIO Q. F. S. D.

Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene subrusticus, quae nunc expromam absens audacius. Epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis; quod etsi mihi saepe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit; sed etiam illa cupiditas, vel ut auctoritate

testimonii tui, vel indicio benevolentiae, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur.

Neque tamen haec cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et jam institutarum: sed quia videbam Italici belli et civilis historiam jam a te paene esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem ut cogitares, conjunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt (Callisthenes Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum; qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt) tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus externisque bellis sejungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, dum ad locum venias, at statim caussam illam totam et tempus arripere. Et simul si uno in argumento unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno jam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint.

Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam; potest enim mihi denegare occupatio tua: deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas: gratiamque illam, de qua suavissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te deflecti non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate: ea si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere: amorique nostro plusculum etiam, quam concedet veritas, [1] largiare.

[1] Veritas.] Tuae virtutis et sapientiae, Marce Tulli, quam indignum

Quod si te adducemus, ut hoc suscipias, erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate et copia tua. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse: in quo et illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis caussis rerum novarum, vel in remediis incommodorum; cum et reprehendes ea, quae vituperanda duces, et quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis; et si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo, te scriptore, retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundae. Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem. Caeteris vero nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus; etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli jubet spiculum, postea quam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum: ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cujus studium in legendo non erectum Themistoclis fuga redituque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem. Si vero exitu notabili concluduntur, exple-

hoc! Illius tuae sententiae egregiae quam sis oblitus!—"Vera Gloria radices agit, et propagatur; ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidant, nec simulatum potest esse quidquam diuturnum."

De Officiis, II. 12.

tur animus jucundissima lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum. Habet enim varios actus, multasque actiones et consiliorum et temporum.

Ac ne vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonstrem, me a te potissimum ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias; et qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quam eos qui laudent, assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae caussa ab Apelle potissimum pingi, et a Lysippo fingi volebat: sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriae fore putabat. Atque illi artifices, corporis simulacra ignotis nota faciebant: quae vel si nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari viri. Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genera laborarunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasque superavit.

Atque hoc praestantius mihi fuerit et ad laetitiam animi, et ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in caeterorum; quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum (sicut Timoleonti a Timaeo, aut ab Herodoto Themistocli) sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri, et in reipublicae maximis gravissimisque caussis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solum praeconium, quod cum in Sigaeum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit; sed etiam grave

testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. Placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum *laudari se* laetatur, sed addit etiam, *a laudato viro.*

Quod si a te non impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neque enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me: multorum tamen exemplo et clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia. Et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum; et praetereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, et dicant, verecundiores esse praecones ludorum gymnicorum, qui cum caeteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronuntiarint; cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse praedicent. Haec nos vitare cupimus, et si recipis caussam nostram, vitabimus; idque ut facias rogamus.

Ac, ne forte mirere, cur, cum mihi saepe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus literis mandaturum, a te id nunc tantopere et tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus: ut et caeteri, viventibus nobis, ex literis tuis nos cognoscant, et nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis caussam, conficiam commentarios rerum omnium. Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non cessabis, et ea quae habes instituta perpolies, nosque diliges. Vale.

EPIST. XVI. LIB. V. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Consolatur amicum obitum liberorum immoderatius ferentem.

M. T. CICERO TITIO S. D.

Etsi unus ex omnibus minime sum ad consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse, meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tam diu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset.

Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus. Homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus, neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus. Eventisque aliorum memoria repetendis nihil accidisse nobis novi cogitemus.

Neque hae neque caeterae consolationes, quae sunt a sapientissimis viris usurpatae, memoriaeque et literis proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis, et haec perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona aut denique aliqua republica perdidissent. Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione moeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quae magis amo-

ris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: (ut ea non dicam, quae saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur) hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere rei publicae, quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti locus? non, mehercule, quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miseriis atque ex iniquissima conditione vitae videretur. Quare, si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse, permultum erit ex moerore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa jam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum proprie referetur, in qua non est jam gravitatis ac sapientiae tuae, quam tu a puero praestitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria maloque sejunctus. Etenim eum semper te et privatis in rebus et publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, et constantiae serviendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quae maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. Etenim si nulla unquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit; certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus.

His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum: sin minus forte valuissent, officio tamen esse functurum benevolentissimi atque amicissimi; quem me tibi et fuisse semper existimes velim, et futurum esse confidas. Vale.

EPIST. IX. LIB. VI. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Commendat Caecinam T. Furfanio.

M. T. C. T. FURFANIO PROCOS. S. D.

Cum A. Caecina tanta mihi familiaritas communitudoque semper fuit, ut nulla major esse possit. Nam et patre ejus, claro homine et forti viro, plurimum usi sumus, et hunc a puero, quod et spem magnam mihi afferebat summae probitatis summaeque eloquentiae, et vivebat mecum conjunctissime, non solum officiis amicitiae, sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctius viverem. Nihil attinet me plura scribere, quam quod mihi necesse est ejus salutem et fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, ut vides. Reliquum est, ut, cum cognorim pluribus rebus, quid tu et de bonorum fortuna, et de reipublicae calamitatibus sentires, nihil a te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Caecinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

EPIST. V. LIB. VII. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Commendat studiosissime Trebatium jurisconsultum Caesari Galliarum praefecto.

CICERO CAESARI IMPER. S. D.

Vide quam mihi persuaserim, te me esse alterum, non modo in his rebus, quae ad me ipsum, sed etiam

in iis, quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram quocunque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus studiis, beneficiis quam ornatissimum domum reducerem. Sed posteaquam et Pompeii commoratio diuturnior erat quam putaram, et mea quaedam tibi non ignota dubitatio, aut impedire profectionem meam videbatur, aut certe tardare, vide quid mihi sumpserim. Coepi velle ea Trebatium exspectare a te, quae sperasset a me. Neque mehercule minus ei prolixe de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. Casus vero mirificus quidam intervenit, quasi vel testis opinionis meae, vel sponsor humanitatis tuae. Nam cum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, literae mihi dantur a te, quibus in extremis scriptum erat, *M. Orfium quem mihi commendas, vel regem Galliae faciam; vel hunc Leptae delega, si vis tu, et ad me alium mitte quem ornem.* Sustulimus manus et ego et Balbus; tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea sponte, post autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Caesar, sic velim omni tua comitate complectare, ut omnia, quae per me possis adduci ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine haec spondeo, non illo vetere verbo meo, quod, cum ad te de Orfio scripsissem, jure lusisti; sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur; probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam,[1] quod familiam ducit, in jure civili singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque tribunatum, neque praefecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam et liberalitatem peto: neque impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum

[1] *i. e.* quod praestantissimum est.

ornes gloriolae insignibus. Totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum tuam istam, et victoria et fide praestantem. Simus enim putidiusculi, quam per te vix licet: verum, ut video, licebit. Cura, ut valeas, et me, ut amas, ama. Vale.

EPIST. XIV LIB. IX. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Dolabellam laudibus extollit, quia columnam, in foro Caesari, quasi Deo, erectum, everterat.

CICERO DOLABELLAE CONSUL. S.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod, vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni (convenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in his locis conveniunt, praeterea, ex municipiis frequentes necessarii mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agunt. Negant enim se dubitare, quin tu, meis praeceptis et consiliis obtemperans, praestantissimum te civem et singularem consulem praebeas. Quibus ego quamquam verissime possum respondere, te, quae facias, tuo judicio et tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio; tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriae. Et tamen non alienum dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis Nesto-

rem: mihi vero gloriosum, te juvenem[1] consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antequam me plane salutavit, "O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum, si ego apud[2] sororis filium valerem, jam salvi esse possemus. Dolabellae vero tuo et gratulor et gratias ago: quem quidem post te consulem, solum possumus vere consulem dicere." Deinde multa de facto ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil reipublicae salutarius. Atque haec una vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam haereditatem alienae gloriae sinas[3] cernere: meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare.

Quamquam, mi Dolabella (haec enim jocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti; tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam. Tamen Idibus Martiis tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est quod ego te horter, ut dignitati et gloriae servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent

[1] Juvenem.] Viginti quinque annos natus.
[2] Sororis.] M. Antonium, filium Juliae, sororis L. Caesaris.
[3] Cernere.] Usitatus loquendi modus, *cernere* haereditatem, pro *adire*.

qui hortantur? neminem habeo clariorem quam teipsum. Te imitere oportet: tecum ipse certes. Ne licet quidem tibi jam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, et cum bonis omnibus, tum infirmo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisse, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine cum animi, tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius. Ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur et urbem periculo, et civitatem metu: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te positam esse rempublicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Tu quum rempublicam nosque conservas, fac ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.

EPIST. III. LIB. IX. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Expostulatio ad contumeliosas et minaces Antonii literas.

BRUTUS ET CASSIUS PRAET. ANTONIO COS. S. D.

LITERAS tuas legimus, simillimas edicti tui, contumeliosas, minaces, minime dignas, quae a te nobis mitterentur. Nos, Antoni, te nulla lacessimus injuria; neque miraturum credidimus, si praetores et ea

dignitate homines aliquid edicto postulassemus a consule. Quod si indignaris ausos esse id facere, concede nobis ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto et Cassio tribui. Nam de delectibus habitis, et pecuniis imperatis, exercitibus sollicitatis, et nuntiis trans mare missis, quod te questum esse negas, non quidem tibi credimus optimo animo te fecisse, sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum, et te miramur, cum haec reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caesaris objiceres. Illud vero quemadmodum ferendum sit, tute cogita, non licere praetoribus concordiae ac libertatis causa per edictum de suo jure decedere, quin consul arma minetur. Quorum fiducia nihil est quod nos terreas. Neque enim decet, aut convenit nobis, periculo ulli submittere animum nostrum. Neque est Antonio postulandum, ut iis imperet quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur, ut bellum civile suscitare vellemus, literae tuae nihil proficerent. Nulla enim minantis auctoritas apud liberos est. Sed pulchre intelligis non posse nos quoquam impelli: et fortassis ea re minaciter agis, ut judicium nostrum metus videatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera republica magnum atque honestum esse, vocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen pluris, nostram libertatem, quam tuam amicitiam aestimemus. Tu etiam atque etiam vide quid suscipias, quid sustinere possis: neque quam diu vixerit Caesar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. Deos quaesumus consilia tua reipublicae salutaria sint, ac tibi. Sin minus, ut salva atque honesta republica tibi quam minimum noceant optamus. Pridie Nonas Sext.

EPIST. XVI. LIB. XIII. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Apollonium P. Crassi libertum Caesari bellum in Hispania contra Pompeii liberos gerenti commendat.

M. T. C. CAESARI IMP. S. D.

P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: et, de eo cum ab ineunte ejus aetate bene speravissem, tum per me existimare coepi ex iis judiciis, quae de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Apollonium jam tum equidem, cum ille viveret, et magni faciebam et probabam. Erat enim et studiosus Crassi, et ad ejus optima studia vehementer aptus. Itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se observandos et colendos putabat, quos ille dilexisset, et quibus carus fuisset. Itaque et ad me in Ciliciam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit et fides ejus et prudentia: et, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio et fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cum speraret te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te, maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus; non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui et in bello tecum fuisset, et propter memoriam Crassi de tuis unus esset: et si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium meum de eo judicii, quod et ipse magni aestimabat, et ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meae

cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multum a puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis Graecis mandare cupiebat. Posse arbitror: valet ingenio, habet usum, jam pridem in eo genere studii literarumque versatur: satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meae testimonium: sed tu hoc facilius multo, pro tua singulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.

EPIST. I. LIB. XIV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Exsul deflet suam suorumque calamitatem, ejusque culpam confert in amicorum consilia: vici venditionem prorsus improbat: alia quaedam scribit.

TULLIUS TERENTIAE SUAE, TULLIOLAE SUAE, CICERONI SUO S. D.

Et literis multorum et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas aerumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quae si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paullo facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam,[1] qui invidebant: eos non seque-

1 Invidebant.] Carpit *Pompeium*, *Hortensium*, *Arrium*, et alios; qui auctores ei fuerunt, ut Clodio tribuno pl. cederet, ne civilis contentionis causa esset.

bar, [1] qui petebant. Quod si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi viveremus.

Nunc, quum sperare nos amici jubent, dabo operam ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum. De [2] familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco nunc quidem jam abiit pestilentia, sed quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Hypso veniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet. Sperat posse fieri ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro, et si in vestrum complexum venero, ac si et vos et me ipsum recuperaro, satis magnum mihi fructum videbor percepisse et vestrae pietatis et meae. Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit. Utinam ea res ei voluptati sit, gloriae quidem video fore. De Quinto fratre nihil ego te accusavi, sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam conjunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi, et me a te certiorem factum esse scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum venditurum: quid, obsecro te, me miserum, quid futurum est? Et, si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere, tanta vis lacrymarum est, ne te in eundem fletum adducam.

1 Petebant.] De *L. Lucullo* praecipue hoc dicit, qui suasit, ut armis cum Clodio decertaret potius, quam in exilium iret: vel de *Caesare;* a quo delatam legationem accipere noluit.

2 Familia.] De servis, quos postea liberavit, veritus ne cum caeteris bonis publicarentur.

Tantum scribo, si erunt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, et mediocri fortuna, ut caetera consequatur. Fac valeas, et ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, et vos quid agatis. Mihi omnino jam brevis exspectatio est. Tulliolae et Ciceroni salutem dic. Valete. D. a. d. VI. Kalendas Decembres, Dyrrachii.

Dyrrachium veni, quod et libera civitas est, et in me officiosa, et proxima Italiae. Sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam, ad te scribam.

EPIST. III. LIB. XIV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Queritur, quod sua culpa et ipse, et omnes sui, maximas in miserias inciderint; deinde ad varia capita respondet, sed ita dolenter, ut ideo a nonnullis jure fortasse, tanquam mollis, reprehendatur.

TULLIUS TERENT. ET TULL. ET CICERONI SUIS S. D.

Accepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim moerore, mea Terentia: nec meae me miseriae magis excruciant, quam tuae, vestraeque. Ego autem hoc miserior sum quam tu, quae es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere, vel cadere fortiter. Hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficiar, tum etiam pudore. Pu-

det enim me uxori meae optimae suavissimisque liberis virtutem et diligentiam non praestitisse. Nam mihi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester et moeror, et infirmitas valetudinis tuae: spes autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi, invidi paene omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quamdiu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur. Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miseriis. Ego tamen faciam quae praecipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias, et eas literas Dexippo dedi, meque de eorum officio scripsi a te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio, et ego perspicio, et omnes praedicant. Dii faxint, ut tali genero[1] mihi praesenti tecum simul et cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in novis tribunis plebis, et in primis quidem diebus. Nam si inveterarit, actum est. Ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum, et rationem totius negotii posses scribere: etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim ut recurreret: et ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, et sim tuto. Civitas enim haec semper a me defensa est. Cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si velim, ad me venturam; ego vero, cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet. Sin autem—Sed nihil opus est reliqua scribere. Ex primis, aut summum secundis literis tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me velim omnia diligentissime perscribas: etsi magis jam rem, quam literas debeo spectare.

[1] Genero.] Piso mortuus est intra tempus breve.

Cura ut valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, quam ego videre videor: itaque debilitor lacrymis.[1] Vale. Pridie Kalendas Decembr.

EPIST. V. LIB. XV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Excusat se quod Ciceroni supplicationem non decreverit: et tamen decretam gaudet: seque de illo honorificentius dicit sensisse, quam eos, qui supplicationem decreverunt.

M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D.

Quod et respublica me, et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrare gaudeam. Itaque, quod pro meo judicio facere potui, ut innocentia consilioque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem, sententia mea et decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito sed summa tua ratione et continentia reipublicae provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quod si triumphi praerogativam[2] putas supplicationem, et idcirco casum potius, quam te laudari mavis: neque supplicationem sequitur semper triumphus; et triumpho multo clarius est, senatum judica-

1 Lacrymis.] De Ciceronis dolore nimio et viri parum digno, vide D. Bolinbrokii sententiam; *De Exilio*, p. 253.

2 Praerogativam.] Quae tribus, quaeque centuria suffragium prima ferebat, *praerogativa* dicebatur, quod prima rogaretur, ut ait Asconius, quos vellet consules fieri. Et quoniam praerogativae tanta auctoritas erat, ut eam caeterae tribus et centuriae sequerentur; inde factum, ut *praerogativa* pro certo acciperetur signo futuram rem praenuntiante.

re, potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum, aut benignitate deorum retentam atque conservatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque haec ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime volo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me et voluisse de tua majestate, quod amplissimum sim arbitratus, et quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, et nos dilige, et instituto itinere severitatem diligentiamque sociis et reipublicae praesta.[1]

EPIST. VI. LIB. XV. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Exponit, eximia cum Catonis laude, quantam voluptatem ceperit ex ejus sententia, et ex gratulatione literarum: petitque ut sibi in adipiscendo triumpho adjutor sit, aut saltem, si adipiscatur, gaudeat.

M. T. C. M. CATONI S. P. D.

LAETUS *sum laudari me*, inquit Hector, opinor apud Naevium, *abs te, pater, a laudato viro.* Ea est enim profecto jucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ego vero vel gratulatione literarum tuarum, vel testimoniis sententiae dictae, nihil est quod me non assecutum putem. Idque mihi cum amplissimum, tum gratissimum est, te libenter amicitiae dedisse, quod liquido veritati dares. Et, si non modo omnes, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum exstitisse mirabile est, quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum sensum, et ad illud

[1] Haec literula, Catonis relliquium unicum, elegantiae et ironiae politissimae referta, scriptorem facetum et minime rudem sapit.

sincerum ac subtile judicium nihil potest esse laudabilius, quam ea tua oratio, quae est ad me perscripta a meis necessariis. Sed caussam meae voluntatis, non enim dicam cupiditatis, exposui tibi superioribus literis: quae etiam si parum justa tibi visa est, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur a senatu, minime aspernandus esse videatur. Spero autem, illum ordinem, pro meis ob rempublicam susceptis laboribus, me non indignum honore, usitato praesertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissime scribis, ut, cum tuo judicio, quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris: si id, quod maluero, accidit, gaudeas. Sic enim fecisse te, et sensisse, et scripsisse video, resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis jucundum fuisse, quod scribendo affuisti. Haec enim senatusconsulta non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem videbo, atque utinam republica meliore, quam timeo.

EPIST. XXI. LIB. XVI. AD FAM.

ARGUMENTUM.

Propensionem animi, studiumque ad virtutem significat: et de praedio empto gratulatur.

C. FILIUS[1] TIRONI SUO DULCISS. S. P. D.

Cum vehementer tabellarios exspectarem quotidie, aliquando venerunt post diem XL et VI quam a vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus adoptatissimus. Nam cum maximam cepissem laetitiam ex hu-

1 Cicero filius hoc tempore Athenis, sub Cratippo literas prosequebatur; novemdecim annos natus.

manissimi et carissimi patris epistola, tum vero jucundissimae tuae literae cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non poenitebat intercapedinem scribendi fecisse: sed potius laetabar: fructum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex silentio mearum literarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: praestaboque et enitar, ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant. Cujus te sollicitudinis et doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi; nec id mirum. Nam cum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua. Socium enim te meorum commodorum semper esse volui. Quod igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, praestabo.

Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium, esse conjunctissimum. Nam cum et audio illum libenter, tum etiam propriam ejus suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem. Exoro enim ut mecum quam saepissime coenet. Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis et coenantibus obrepit, sublataque severitate philosophiae, humanissime nobiscum jocatur. Quare da operam ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quamprimum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior discedere: cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio. Non est enim sejunctus jocus a philologia, et quotidiana *συζητησει*. Huic ego locum in proximo conduxi: et, ut possum, ex meis angustiis illius sus-

tento tenuitatem. Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui, Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Utor familiaribus, et quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus et doctis, et illi probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, et Leonides, et horum caeteri similes. Τα μεν ουν καθ' ἡμας ταδε.

De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem. Διαρρηδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia σπουδη suspicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi succurrebat grave esse, me de judicio patris judicare. Tuum tamen studium et consilium gratum acceptumque est mihi.

Excusationem angustiarum tui temporis accipio. Scio enim quam soleas esse occupatus. Emisse te praedium vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem istam evenire cupio. Habes deponendae ubi sunt urbanitates. Rusticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono; videor enim videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse aeque ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modo fortuna me: praesertim cum sciam, communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit, est mihi gratum. Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum mihi enim eripitur operae in exscribendis hypomnematis. Tu velim in primis cures ut valeas, ut una συμφιλολογειν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

PLINIUS JUNIOR.

C. Plinius Caecilius Secundus, ex Novo Como, Italiae Transpadanae oppido, Plinium Majorem avunculum, Quintilianum et Nicetam Sophistam praeceptores habuit. Disertissimus in foro causarum Patronus, varios honores, eosque maximos in Republica gessit, Imperatori Trajano carissimus. Incertum est quo anno obiit; sed tamen mortuo demum Trajano.

Exstant ejus *Epistolarum* Libri decem, quorum ultimus Epistolas Trajani et Plinii mutuas de rebus maxime publicis in provincia scriptas complectitur; et *Panegyricus Imp. Trajano Dictus*, cum ab eo Consul designatus esset anno Urbis conditae 856. a. d. 103.

Fabricii Bib. Lat. II. 407.

Esse enim Epistolicus stilus simplex debet ac velut negligentiusculus. Nam est etiam quaedam negligentia diligens; exemplo sunt *Plinii Caecilii* Epistolae, acutae, eleganter expressae, in quibus nihil nisi domesticum, quotidianum, sed omnia tantum Latina, casta, ornataque leguntur. Cumque sit stilus ille multa arte atque ingenio cultuque subactus et elaboratus, illaboratus tamen pene subitus atque extemporaneus videtur.

Erasmus.

EX PLINII EPISTOLIS.

EPIST. I. LIB. I.

C. PLINIUS SECUNDUS SEPTITIO SUO S.

FREQUENTER hortatus es, ut epistolas, si quas paulo accuratius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi, non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam :) sed ut quaeque in manus venerat. Superest ut nec te consilii, nec me poeniteat obsequii. Ita enim fiet, ut eas quae adhuc neglectae jacent, requiram : et si quas addidero, non supprimam. Vale.

C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

Paetus et Arria.

ADNOTASSE videor, facta dictaque virorum feminarumque illustrium alia clariora esse, alia majora. Confirmata est opinio mea hesterno Fanniae sermone. Neptis haec Arriae illius, quae marito et solatium mortis et exemplum fuit. Multa referebat aviae suae non minora hoc, sed obscuriora : quae tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. Ægrotabat Caecinna Paetus, maritus ejus, aegrotabat et filius, uterque mortifere, ut videbatur : filius decessit, eximia pulchritudine, pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus quam quod filius erat.

Huic illa ita funus paravit, ita duxit exequias, ut ignoraret maritus. Quinimmo quoties cubiculum ejus intraret, vivere filium atque etiam commodiorem esse simulabat. Ac persaepe interroganti quid ageret puer, respondebat, Bene quievit, libenter cibum sumpsit. Deinde quum diu cohibitae lacrymae vincerent prorumperentque, egrediebatur. Tunc se dolori dabat. Satiata, siccis oculis, composito vultu redibat tanquam orbitatem foris reliquisset. Praeclarum quidem illud ejusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pene divinam, *Paete, non dolet.* Sed tamen ista facienti dicentique gloria et aeternitas ante oculos erant: quo majus est sine praemio aeternitatis, sine praemio gloriae abdere lacrymas, operire luctum, amissoque filio matrem adhuc agere. Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Paetus in partibus, et occiso Scriboniano, Romam trahebatur. Erat ascensurus navem, Arria milites orabat ut simul imponeretur. "Nempe enim (inquit) daturi estis consulari viro servulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a quibus calcietur: omnia vel sola praestabo." Non impetravit. Conduxit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium uxori Scriboniani, quum illa profiteretur indicium, "Ego (inquit) te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?" Ex quo manifestum est, ei consilium pulcherrimae mortis non subitum fuisse. Quinetiam quum Thrasea gener ejus deprecaretur ne mori pergeret, interque alia dixisset, "Tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum"? respondit, "Si tam diu tantaque concordia, vixit tecum, quam ego cum Paeto, volo." Auxerat hoc responso curam suorum. Attentius custodiebatur: sensit, et, "Nihil agitis," inquit. "Potestis enim efficere ut male moriar; ne moriar, non potestis." Dum haec dicit, exiluit cathedra, adverso-

que parieti caput ingenti impetu impegit, et corruit. Refocillata, "Dixeram (inquit) vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis." Videnturne haec tibi majora illo, *Paete non dolet*, ad quod per haec perventum est? quum interim illud quidem ingens fama: haec, nulla circumfert. Unde colligitur, quod initio dixi, alia esse clariora, alia majora. Vale.

C. PLINIUS HISPULAE SUAE S.

Cum sis pietatis exemplum, fratremque optimum, et amantissimum tui, pari cariate dilexeris, [1] filiamque ejus ut tuam diligas, nec tantum amitae ejus, verum etiam patris amissi affectum repraesentes, non dubito, maximo tibi gaudio fore quum cognoveris, dignam patre, dignam te, dignam avo evadere. Summum est acumen, summa frugalitas: amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium literarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa solicitudine, quum videor acturus, quanto, quum egi, gaudio afficitur? Disponit qui nuntient sibi, quem assensum, quos clamores excitarim, quem eventum judicii tulerim. Eadem, si quando recito, in proximo, discreta velo, sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. His ex causis in spem certissimam adducor, perpetuam nobis majoremque indies futuram esse concordiam. Non enim aetatem meam, aut corpus, quae paulatim

[1] Filiam.] Calphurniam, Plinii uxorem.

occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit. Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis praeceptis institutam: quae nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque: quae denique amare me ex tua praedicatione consueverit. Nam quum matrem meam parentis loco venerareris, meque a pueritia statim formares, laudare, talemque, qualis nunc uxori meae videor, ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus: ego, quod illam mihi: illa, quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris. Vale.

C. PLINIUS MARCELLINO SUO S.

Tristissimus haec tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil unquam festivius, amabilius nec modo longiore vita, sed prope immortalitate, dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat: et tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut illa patris cervicibus inhaerebat! ut nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur! ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores, pro suo quemque officio, diligebat! Quam studiose, quam intelligenter, lectitabat! Ut parce custoditeque ludebat! Qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia, novissimam valetudinem tulit! Medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur, ipsamque se destitutam corporis sui viribus, vigore animi sustinebat. Duravit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est; quo plures gravioresque nobis causas relinqueret et desiderii et doloris. O triste plane acerbumque funus! O morte ipsa mortis tempus indignius! Jam destinata erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies, jam nos advocati. Quod gaudium

quo moerore mutatum est! Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim quum audivi, Fundanum ipsum (ut multa luctuosa dolor invenit) praecipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas, fuerat erogaturus, hoc in thura et unguenta et odores impenderetur. Est quidem ille eruditus et sapiens, ut qui se ab ineunte aetate altioribus studiis artibusque dediderit: sed nunc omnia quae audivit, quaerit saepe; quae dixit, aspernatur; expulsisque virtutibus aliis, pietatis est totus. Ignosces, laudabis etiam, si cogitaveris quid amiserit. Amisit enim filiam quae non minus mores ejus quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eum de dolore tam justo literas mittes, memento adhibere solatium non quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum. Quod ut facilius admittat, multum faciet medii temporis spatium. Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit; sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat, et clementer admotis acquiescit. Vale.

C. PLINIUS C. TACITO SUO S.

Mortem Plinii Majoris, Avunculi sui, describit.

Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis: gratias ago. Nam video, morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit: quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum aeternitas addet.

Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos vero quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam quod injungis. Erat Miseni, classemque imperio praesens regebat. Nono calend. Septembris, hora diei fere septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida gustaverat jacens, studebatque: poscit soleas, ascendit locum ex quo maxima miraculum illud conspici poterat: nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte: Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cujus similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. Credo quia recenti spiritu evecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat. Magnum propiusque noscendum id eruditissimo viro visum. Jubet liburnicam aptari: mihi, si venire una vellem, facit copiam. Respondi, studere me malle, et forte ipse quod scriberem dederat. Egrediebatur domò, accipit codicillos. Retinae Classiarii imminenti periculo exterriti (nam villa ea subjacebat, nec una nisi navibus fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Non vertit ille consilium, sed quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse non Retinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. Properat illuc unde alii fugiunt; rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Jam navibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior et densior; jam pumices etiam, nigrique et ambusti et fracti igne

lapides: jam vadum subitum, ruinaque montis littora obstantia, cunctatusque paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, *Fortes*, inquit, *fortuna juvat: Pomponianum pete.* Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam sensim circumactis curvatisque littoribus mare infunditur. Ibi, quanquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, et, quum crescceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae, si contrarius ventus resedisset: quo tunc avunculus meus secundissimo invectus, complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: utque timorem ejus sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet; lotus accubat, coenat, atque hilaris, aut quod est aeque magnum, similis hilari. Interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione, igni relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat: tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui limini obversabantur, audiebatur. Sed area ex qua diaeta adibatur, ita jam cinere, mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, ceterisque qui pervigilarant, reddit. In commune consultant an intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus, quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur: quod tamen periculorum collatio elegit, et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversus decidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque: quam tamen faces multae variaque

lumina solvebant. Placuit egredi in littus, et e proximo aspicere ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. Ibi super abjectum linteum recubans, semel atque iterum frigidum poposcit, hausitque: deinde flammae, flammarumque praenuntius odor sulfuris, alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus servis duobus assurrexit, et statim concidit, ut ego conjecto, crasiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura invalidus et angustus et frequenter interaestuans erat. Ubi dies redditur (is ab eo, quem novissime viderat, tertius) corpus inventum est integrum, illaesum opertumque, ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior. Interim Miseni ego et mater—Sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu ejus scire voluisti. Finem ego faciam: unum adjiciam, omnia me, quibus interfueram, quaeque statim quum maxime vera memorantur, audiveram, vere persequutum: tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam; aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

C. PLINIUS CORNELIO TACITO SUO S.

Ais te adductum literis, quas exigenti tibi de morte avunculi mei scripsi, cupere cognoscere, quos ego Miseni relictus (id enim ingressus abruperam) non solum metus, verum etiam casus pertulerim. Quanquam animus meminisse horret, incipiam. Profecto avunculo, ipse reliquum tempus studiis (ideo enim remanseram) impendi: mox balineum, coena, somnus inquietus et brevis. Praecesserat per multos dies tremor terrae minus formidolosus, qui Campaniae non solum castella, verum etiam oppida vexare solitus: illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, sed everti crederentur. Irrumpit cubiculum meum mater: surgebam invicem, si quiesceret, excitaturus.

Resedimus in area domus, quae mare a tectis modico spatio dividebat. Dubito constantiam vocare an imprudentiam debeam: agebam enim duodevisicemum annum. Posco librum Titi Livii, et quasi per otium lego, atque, etiam, ut coeperam, excerpo. Ecce, amicus avunculi, qui nuper ad eum ex Hispania venerat, ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam, securitatem meam corripit: nihilo segnius ego intentus in librum. Jam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies, jam quassatis circumjacentibus tectis, quanquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. Tum demum excedere oppido visum. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine abeuntes premit et impellit. Egressi tecta consistimus: multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula quae produci jusseramus, quanquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant. Praeterea mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbatur. Certe processerat littus, multaque animalia maris in siccis arenis detinebat. Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat: fulgoribus illae et similes et majores erant. Tum vero ille idem ex Hispania amicus, acrius et instantius, Si frater, inquit, tuus, si tuus avunculus vivit, vult esse vos salvos: si periit, superstites voluit: proinde quid cessatis evadere? Respondimus, non commissuros nos, ut de salute ejus incerti, nostrae consuleremus. Non moratus ultra proripit se, effusoque cursu periculo aufertur: nec multo post, illa nubes descendere in terras, operire maria. Cinxerat Capreas, et absconderat: Miseni quod procurrit, abstulerat. Tum mater orare, hortari, jubere, quoquo modo fugerem: posse enim juvenem;

se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contra, salvum me, nisi una, non futurum : deinde manum ejus amplexus, addere gradum cogo : paret aegre, incusatque se quod me moretur. Jam cinis adhuc tamen rarus : respicio ; densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae, sequebatur. Deflectamus (inquam) dum videmus, ne in via strati, comitantium turba in tenebris obteramur. Vix consederamus, et nox, non quasi illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto : audires ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum : alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant : hi suum casum, illi suorum miserebantur : erant qui metu mortis mortem precarentur. Multi ad deos manus tollere, plures nusquam jam deos ullos, aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud ruisse, illud ardere, falso, sed credentibus nuntiabant. Paulum reluxit ; quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur : et ignis quidem longius substitit : tenebrae rursus, cinis rursus multus et gravis : hunc identidem assurgentes excutiebamus : operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus. Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire, misero, magno tamen mortalitatis solatio credidissem. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve decessit : mox dies verus ; sol etiam effulsit, luridus tamen ; qualis esse quum deficit solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere tanquam nive obducta. Regressi Misenum, curatis utcunque corporibus, suspensam dubiamque mentem spe ac metu exegimus : metus praevalebat. Nam et tremor terrae perseverabat, et plerique lymphati terrificis vati-

cinationibus et sua et aliena mala ludificabantur. Nobis tamen ne tunc quidem, quanquam et expertis periculum, et exspectantibus, abeundi consilium, donec de avunculo nuntius veniret. Haec, nequaquam historia digna, non scripturus, leges, et tibi, scilicet qui requisisti, imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur. Vale.

C. PLINIUS CANINIO SUO S.

Incidi in materiam veram, sed simillimam fictae, dignamque isto laetissimo, altissimo, planeque poetico ingenio. Incidi autem, dum super coenam varia miracula hinc inde referuntur. Magna auctoris fides; tametsi quid poetae cum fide? Is tamen auctor, cui bene vel historiam scripturus credidisses. Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima: adjacet ei navigabile stagnum, ex quo, in modum fluminis, aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic aetas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur: maxime puerorum, quos otium ludusque solicitat. His gloria et virtus altissime provehi: victor ille, qui longissime ut littus, ita simul nantes, reliquit. Hoc certamine puer quidem, audentior caeteris, in ulteriora tendebat: delphinus occurrit, et nunc praecedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum: mox flectit ad littus, redditque terrae et aequalibus. Serpit per coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, et si quid est mari simile. Natant pueri: inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. Fugit ille cum ceteris. Delphinus, quasi invitet, revocet, exilit, mergitur, variosque orbes implicitat ex-

peditque. Hoc altero die, hoc tertio; hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor: accedunt, et alludunt, et appellant: tangunt etiam, pertrectantque praebentem. Crescit audacia experimento. Maxime puer, qui primus expertus est, adnatat natanti, insilit tergo: fertur referturque: agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia, mansuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra laevaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat una (id quoque mirum) delphinus alius, tantum spectator et comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, ut puerum ceteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quam priora) delphinum gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, ubi incaluisset, in mare revolvi. Constat Octavium Avitum, legatum proconsulis, in littus educto, religione prava, superfudisse unguentum, cujus illum novitatem odoremque in altum refugisse; nec nisi post multos dies visum languidum et moestum; mox, redditis viribus, priorem lasciviam et solita ministeria repetisse. Confluebant ad spectaculum omnes magistratus, quorum adventu et mora modica respublica novis sumptibus atterebatur. Postremo locus ipse quietem suam secretumque perdebat. Placuit occulte interfici, ad quod coibatur. Haec tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? Quanquam non est opus affingas aliquid aut adstruas; sufficit ne ea quae sunt vera minuantur. Vale.

C. PLINIUS TRAJANO IMPERATORI S.

Solenne est mihi, domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis[1] interfui nunquam: ideo

[1] Christianis.] Haec litera est testimonium de statu Ecclesiae Christia-

nescio, quid, et quatenus, aut puniri soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant: deturne poenitentiae venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum sequutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae: quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos; mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomine continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, quum, praeeunte me, deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, se desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixerunt. Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum

nae his temporibus prope unicum, ut scripta intra annos quadraginta post S. Pauli mortem. Ipsis Christianis fuit servata; eorum virtutis et innocentiae indicatio nobilissima.

appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium: quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam, ideoque, dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numeri Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solennia diu intermissa repeti: passimque vaenire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus.

TRAJANUS PLINIO S.

Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt: ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine, locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri seculi est.

FINIS.

1556

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 040 815 9